BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALESSANDRINA
ROMA
G
a
18

4. a. 12

De vera exiſtentia Corporis

S. P. BENEDICTI IN CASSINENSI ECCLESIA:

Deque eiuſdem tranſlatione.

AVCTORE. R. A. P. MATTHAEO LAVRETO Ceruarienſi, Hiſpano, Abbate. S. Saluatoris de Caſtellis.

144 / 12



NEAPOLI, Ex Typographia Io. Baptiſtæ Subtilis; Apud Scipionem Boninum. MDCVII.

PHILIPPO TERTIO
HISPANIARVM, VTRIVSQ;
Siciliæ, atque Indiarum Regi Catholico.

Matthæus Lauretus Monachus Benedictinus, Abbaſq; S. Saluatoris de Caſtellis, vtramq; exoptat fœlicitatem.

SANCTISSIMI Patris Benedicti reliquias, in celeberrima Caſsini montis æde quieſcere, compulſus ego, Potentiſsime Rex, demonſtrare negantibus, neſcientibus, ac dubitantibus; arbitratus ſum rem gratam me facturum credentibus & affirmantibus. Inter hos verò, cum aſſumptæ prouintiæ patronus mihi foret deligendus, cui tutius, dignius, conuenien-

tiuſque me committerem ac commendarem, occurriſti præ cæteris tu, Rex maxime, tanquam certus & verus hæres ac æmulator auorum, & proauorum tuorum: quorum pietas ac propenſio in Sanctiſsimum Patrem Benedictum, & Caſsinenſe Cœnobium ab ipſo fundatum tanta fuit, quanta Ferdinandi Regis Catholici, & Caroli Quinti Imperatoris litteris, in hoc opuſculo à me tranſumptis, luce clarius demonſtrata eſt. Maieſtas porrò veſtra, non conſideret tenue munus ab alũno paupere oblatum: Sed meminerit potius meritis & interceſsione eiuſdem Sanctiſsimi Patris comparatum ſibi hoc Regnum: quando magnus Dux Conſaluus, cum hoſte Gallico, ſibi & loco & numero ſuperiore, confligere coactus: quam humanis viribus minime ſperare poterat, Benedicti Sanctiſsimi (cui ſe & exercitum commendauerat) oraculo & patrocinio, victoriam conſequutus eſt. Maieſtatis ergo veſtrę erit, cœnobium ipſum (quo nullum in ſuis Regnis illuſtrius reperitur aut ſanctius) cætumque Monachorum

ibi-

ibidem iugiter Deo famulantium,aſsidue-
que pro veſtra Maieſtate deprecantium, maiorum ſuorum exemplo, peculiari dignatione protegere,ac priuilegijs amplioribus confouere. Me autem, cui dedit Deus ex certiſsimis monimentis, realem ac corporalem Patriarchæ noſtri in eodē loco docere præſentiam, tuere vmbra culminis ſui: vt & aduerſantium latratus compeſcantur: & ad ſacrum illum Montem populi Chriſtiani deuotio, magis, ac magis indies augeatur. Deus optimus maximus Maieſtatem veſtram, pro communi totius reipublicę Chriſtianæ bono,diutiſsime ſeruet incolumem. Neapoli, Calendis Nouembris, anno 1606.

A D

AD BENIGNVM LECTOREM.

PRODIIT anno ſuperiore, liber quidam inſcriptus, Floriacenſis vetus bibliotheca, Benedictina, Sancta, Apoſtolica, Pontificia, Cæſarea, Regia, Franco Gallica, opera Ioannis à Boſco Pariſienſis, Cæleſtini Lugdunenſis, nunc primum à latebris emerſa, ac antiquariorum vſui expoſita, Lugduni apud Horatium Cardon excuſa. In quo quidem libro multa, & diuerſa congerit ipſius euulgator: quamuis præcipuus eius ſcopus eſſe videatur, aſtruere atque probare Sancti Patris Benedicti Corpus è Monte Caſsino in Gallias ad Monaſterium Floriacenſe olim fuiſſe tranſlatum, ibique hodie requieſcere. Peruenit præfatus liber ad manus Reuerendiſſimi Patris Gregorij à Caſtione Aretino, Sacri cœnobij Caſsinenſis Abbatis, quem cum attente legere cæpiſſet, animaduertit multa eo libro contineri, quibus non ſolum bonum nomen, ſin-

ſinceritas & integritas ſcriptorum, ac Monachorum Caſsinenſium, traduci ac denigrari, verùm etiam veritas exiſtentiæ Corporis Beati Benedicti apud Caſsinum, euerti, ac demoliri, videretur.

Conuenit ergo me iam dictus Reuerendiſſimus Abbas, atque inſtare cæpit, imo vrgere, ac ſua cogere auctoritate, vt patrocinio veritatis aſſumpto, criminationes, & calumnias à Scriptoribus & Monachis Caſsinenſibus depellerem, ac propulſarem. Refugit ſtatim animus ab hoc onere ſubeundo, atque laborē iſtum ſumere penitus detrectare conatus ſum. Inſtitit autem ille vehementer, totq; rationibus ad illum ſubeundum ita ſuaſit, vt tandem perſuaſerit, aſſenſumq; à reluctante & renitente quodammodo extorſerit. Suſcepto igitur onere, cæpi quanta potui diligentia librum illum legere, vniuerſaque, & ſingula, quæ de translatione Sancti Patris Benedicti, eiuſdemque apud Floriacum exiſtentia adducit, cribrarē, ac ponderare: Simulque quid de his alij ſcriptores aſſerunt inquierere: vniuerſa etiam ſcripta, & monimenta quæ in bibliotheca, & archiuo Caſſinenſi extant, excutere. Ex quibus omnibus, præſens opuſculum confeci, in quo quæcumque circa prædictam materiam ſolidæ, ac firmæ auctoritatis reperire potui, hic in vnum collegi, atque omnibus propalandum curaui. Totum autem opus in duas ſecui partes, in quarum prima, de vera & reali exiſtentia Corporis Sancti Benedicti diſputo: In ſecunda vero de

eiuſ-

eiuſdem translatione diſſero. Et quamuis id abſque fuco, dolo, amarulentiaue efficere niſus fuerim: tamen quia non offendere in verbo perfectorum eſt atque ſublimium virorum, timendus valde mihi eſt verborum lapſus. Quapropter lectorem meum oratum volo, vt quicquid in his ſcriptis perperam dictũ repererit, piæ charitatis affectu benigne corrigat & emendet.

De vera, & reali exiſtentia Corporis

SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI

In Monaſterio Caſsinenſi.

AVCTORE

R. P. MATTHÆO LAVRETO

Ordinis eiuſdem Sancti, & Abbate Sancti Saluatoris de Caſtellis.

CAP. I.

SACRVM Caſſinenſe Monaſterium toto Orbe celeberrimum à Beatiſsimo Patre Benedicto fundatum, eiuſdemque admiranda vita, & conuerſatione decoratum, ac miraculorum penè innumerabilium fulgore illuſtratum: in quo idem Sanctus Pater fęliciter obijt, atque vnà cùm Sorore ſua Scholaſtica Virgine ſepultus fuit: occulto, ſed iuſto, Dei iudicio, gentibus diripien- Greg. lib. 2. Dialog. cap. 4.

dum, ac deuaſtandum traditum fuit: quod idem Sanctiſsimus Pater multò antè præuidit, & planxit, vt D. Gregorius teſtatur libro 2. Dialo. c. 17. Longobardi namque cùm eorum Duce crudeliſsimo Zotone Beneuentano Principe, nocturno tempore, ac quieſcentibus fratribus illud ingreſſi, cùm omnia illic diripuiſſent, atque vaſtaſſent, Monaſterium ipſum flammis voracibus tradiderunt. Attamen nec vnum quidem hominem illic tenere potuerunt: ſed impleuit Omnipotens Deus quod fideli famulo ſuo Benedicto promiſerat, vt ſi res gentibus traderet, animas cuſtodiret. Dùm enim Longobardi aſportandę prędæ eſſent intenti, Bonitus eiuſdem Monaſterij tùnc Abbas, cùm omnibus Monachis euadens, textum Sanctæ Regulæ ipſius S. Patris Benedicti manu conſcriptum, alioſque libros, nec non pondus panis, ac vini menſuram à Beato Patre Monachis præſcriptam, veſtimenta quoque, & calciamenta eiuſdem Sancti Patris ac Sororis eius ſecum detulit: Romamq; vniuerſi incolumes peruenientes, benignè à Pe-

Paulus Diac. libr. 4. Cap. 18.

In Regula cap. 39. & 40.

à Pelagio Secundo Summo Pontifice ſunt excepti: atque ad Monaſterium, quod iuxta Lateranenſe Patriarchium iam pridem erectum fuerat, cuique Valentinianus S. Patris Benedicti diſcipulus, multis annis præfuerat, ſe contulerunt. Cùm autem anguſtior eſſet locus, quàm vt tantæ multitudini Monachorum de nouo aduenientium ſufficere poſſet ad manendum: conceſſo ſibi à præfato Pontifice latiori ſolo, Monaſterium ipſum in ampliorem formam redigentes, habitacula, cæteraſque officinas neceſſarias ſibi conſtruxerunt, ibique per longum tempus habitauerunt. Ex eo autem loco ſingulis annis competentem Monachorum numerum ad Caſſinenſe deſtructum Cenobium, vt B. Patris Benedicti Corpus cuſtodirent, tranſmittebant. Quàmuis enim deſolatum fuerit, atque à Barbaris euerſum, numquã tamen illic defuerunt habitatores viri Religioſi, ac deuoti, qui ad venerandum Corpus Sancti Benedicti excubias agerent. Nàm cùm Petronax hortatu Gregorij tertij ſummi Pontificis, Caſsinum,

Greg. libr. 2. Dialo. in princ.

Paulus Diac. libr. 6. cap. 40.

ad reſtaurandum prædictum Monaſterium; acceſſiſſet: habitatores ipſum ibi inueniſſe, qui eum in ſuum Seniorem (idest Abbatem, ſeu Prælatum) elegerunt, conſtat. De tempore autem, ſiuè anno præciſo huius cladis, non conuenit inter Scriptores: communis tamen ſententia eſt, ſub Pelagio Secundo contigiſſe. Id

Leo Oſtienſis. expreſsè aſſerit Leo Oſtienſis lib. 1. Chronici Caſſinenſis cap. 2. Nec apud ipſum eſt aliquis error in temporum ſupputatione. Verba namque illa: *Qui nuper ſub Iuſtino minori Italiam inuaſerant, cùm iam ab incarnatione Domini quingentorum ſexaginta, & octo annorum circulus volueretur*: à quibuſdam malè intellecta, & ad tempus deſolationis Caſſinenſis Cœnobij relata, per parentheſim ſunt legenda, atque ad ingreſſum Longobardorum in Italiam referenda. Id autem, quod

Paulus Diacon. Paulus Diaconus lib. 4. ca. 18. de eadem narrat euerſione, ad eiuſdem Pelagij extrema tempora referendum eſt, quamuis ipſe ad B. Gregorij tempora retuliſſe videatur. Idipſum antè omnes aſſeruit Zacharias

rias Papa primus in quodam Diplomate Monaſterio Caſſinenſi conceſſo, de quo infrà latiùs agendum erit. Idem colligi videtur ex libro 2. Dialogorum B. Gregorij cap. 17. vbi agens de hac euerſione, recentem illam fuiſſe, quando eoſdem libros ſcripſit, affirmat: Sic namque ait. *Nocturno enim tempore, & quieſcentibus fratribus, nuper illic Longobardi ingreſſi ſunt.* Gregorium autem Dialog. libros ſcripſiſſe quarto ſui Pontificatus anno, ex eiſdem libris liquidò colligitur: in quibus agens de lue illa inguinaria, quæ Romam eo anno, quo ipſe Pontifex creatus eſt, inuaſerat, antè triennium fuiſſe aſſerit. Libenter itaque illorum opinionem ſequor, qui tenent, Monaſterium Caſſinenſe deſtructum fuiſſe Pontificatus Pelagij Secundi extremo anno, qui ſecundum quoſdam incidit in annum Domini quingenteſimũ octogeſimumnonũ; ſecundum alios verò, quingenteſimum nonageſimum. Cuius ſententiæ inuenio fuiſſe Leonem Oſtienſem, & alios. Prętermitto autem id probare, tùm quia parùm, aut nihil conducit ad inſtitu-

Gregorius lib. 2. Dial.

Lib. 4. ca. 36. 47. & 55.

ſtitutam in præſens diſputationem, tùm etiam quia ſpero de his aliquando ex profeſſo tractare.

CAP. II.

EX his, quę dicta ſunt conſtat, B. Patrem Benedictum, & apud Caſſinenſe Monaſterium vixiſſe, & ibidem diem clauſiſſe extremũ, vnaque cùm ſorore ſua fuiſſe ſepultum: in quo omnes nobiſcum conueniunt, nec aliquem habemus contradictorem. Quod autem in controuerſiam à quibuſdam vertitur, illud eſt: nùm corpus B. Patris Benedicti, Virginiſque, ac Sororis eius Scholaſticæ, adhuc in Monaſterio Caſſinenſi ſit: an verò aliquando indè aliò tranſportatum, nec ampliùs ad Caſſinenſe ſepulchrum à B. Patre ſibi electum, reductum. Mouetur autem in præſens hoc dubium, non quia ſit aliqua ratio legitima dubitandi, ſed quia anno proximè præterito Milleſimo ſex-

ſexcenteſimo quinto, quidam Ioannes à Boſco Gallus, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cœleſtinorum Monachus, librum edidit Lugduni excuſum: in quo *validis*, ac firmis (*vt ipſe putat*) authoritatibus, atque rationibus, contendit tantum Theſaurum, nedùm Caſſino, verùm toti Italiæ ſurripere, ſibique, Galliſque ſuis nimis audacter, & glorianter aſſerere. Cuius opinionem, atque ſententiam modò diſcutiendam ſuſcipio, atque pro ſola veritatis defenſione, diſquirere, & examinare intendo: vt rei veritate perſpecta, atque probata, nullus deinceps dulcibus huius hominis Galli ſermonibus aures accommodet, aut fidem præſtet: Italia verò, cui ex diuina largitate Theſaurus iſte conceſſus eſt, nullatenùs propter friuola eius dicta, tantis indigetibus, ac Patronis priuatã, ac ſpoliatam ſe eſſe credat. Ioannes à Boſco.

Quæſtio hæc duas habet præcipuas partes. Prima, an Corpus Sancti Benedicti verè, & realiter Caſſini modò exiſtat. Secunda, An fuerit indè aliquando ablatum, & in Gallias, vel aliò tranſlatum.

Primam

Primam huius quæſtionis partem, modò; Secundam deinceps (præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto) quanta potero breuitate, veritate, ac diligentia tractabo. Teſtor autem Deum, me, in his, quę dixero, nunq; mendacium, aut falſum quid ſcienter prolaturum: ſed purè, ac ſincerè veritatem in omnibus quæſiturum. Falli potero, at fallere (Deo dante) nunquam intendam. Noui enim differentiam, quam inter mentiri, & falli aſſignat Diuus Au-
August. guſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſtiana ca. 36. vbi ſic ait. *Ineſt in mentiente voluntas falſa dicendi; & ideò multos inuenimus, qui mentiri velint, qui autem falli, neminem. Cùm igitur illud ſciens homo faciat, hoc neſciens patiatur: ſatis in vna, eademque re apparet, illum, qui fallitur, eo qui mentitur, meliorem eſſe: quandoquidem iniquitatem pati, meliùs eſt quàm facere.* Sic Auguſtinus. Cuius ſententia vera profectò eſt, quamuis filij hominum, qui diligunt vanitatem, & quęrunt mendacium, aliter ſentiant, faciantque. Pro virili ergò curabo fugere foueam errorum, & mendaciorum, in

quam

quam alios incidiſſe iudico, ne dicatur mi- Rom.2.
hi: qui alios doces, te ipſum non doces? Qui prędicas, non mentiendum, mentiris? Verum quia hominis eſt errare, & ſæpe contingit (vt ex Auguſtino diximus) nos falli etiam nolentes: ideò & nunc, & ſemper quidquid dixero, vnà mecum, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ infallibili iudicio volens, lubenſque ſubmitto. Vitabo etiam verborum contentionem, iuxtà illud Apoſtoli ad Thimot. Noli contendere verbis. Quod exponens Auguſti- 1.Thim.2.
nus vbi ſupra, ait. Verbis contendere eſt, non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò, qui non verbis contendit, ſiuè ſubmiſsè, ſiuè temperatè, ſiuè granditer dicat, id agit verbis, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat. Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles in verbis verum amare, non verba; ſicut Chriſtus in ficulnea. fru- Matth.21.
ctum quærebat, non folia: quod vt Lector meus faciat, oro, & obſecro.

Vt ergò methodicè, ac ordine congruo

in hac quæſtione procedamus, partemque quam aſtruere conamur (Beati videlicet Patris Benedicti, Virginiſque, ac ſororis eius Scholaſticæ Corpora Caſſini requieſcere) firmiſſimis ſtabiliamus fundamentis: Aduertere oportet, quæſtionem hanc non eſſe ſpeculatiuam, aut methaphyſicam, quæ multa indigeat ratiocinatione, & diſcurſu: ſed merè practicam eſſe, conſiſtereque in facto, ſcilicet, An ita ſit, vel non ſit: vndè eo modo mihi diſcutienda, & diſputanda erit, quo cæteræ quæſtiones, quæ circa factum, vel non factum verſantur, diſcuti, & inquiri ſolent: probationibus videlicet legitimis, atque iuridicis, teſtes producendo, acta, & inſtrumenta publica, ſi quæ ſunt, proferendo, ac cætera omnia faciendo, quæ ad corroborationem veritatis intentæ conducere quoquomodo poſſunt. Inprimis itaque producam teſtes veridicos, omni ſuſpitione carentes, immò omni exceptione maiores: quorum dicta antè omnium oculos proponam, quæ cùm audierit, & ponderauerit cordatus quiſque dicet: Teſtimonia

nia tua credibilia facta ſunt nimis. Erunt enim teſtes veritatem amantes, mendacium abhorrentes, & ea, quæ viderunt, vel per Diuinam reuelationem, ſeu à viris veracibus. & fide dignis acceperunt referentes. Audiat igitur attentè prudens lector, & iudicet. Pſal. 91.

CAP. III.

PRIMVS huius veritatis aſſertor, & teſtis oculatus eſt Sanctus Zacharias ſummus Eccleſiæ Pontifex, eius nominis primus, creatus anno Dominicæ incarnationis ſeptigenteſimo quadrageſimo primo: qui in quodam priuilegio, Monaſterio Caſſinenſi conceſſo, hanc veritatem de exiſtentia Corporis Sancti Benedicti eiuſque ſororis apud Caſſinum, firmiſſimè aſſerit. Tenor verò Priuilegij talis eſt. Zacchar. I. Bulla.

Zacharias Papa Seruur Seruorum Dei, omnibus Eccleſiæ Catholicæ filijs, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Omnipotenti Deo, cuius melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus, qui glorioſus in ſanctis ſuis, atque mirabilis eſt, & virtutes ſuas vbicunque vult, ineffabili bonitate oſtendit. Ipſe quippe dignationis ſuæ potentia Beatiſſimum Benedictum Patrem omnium conſtituit Monachorum: ipſe eum monaſticæ legis latorem, & operatorem eſſe diſpoſuit: ipſe illius meritis Caſſinenſe Monaſterium, in quo & ſanctiſſimè vixit, & glorioſiſſimè obijt, omnibus per totum Orbem Monaſterijs clementi benignitate præfecit. Qui Pater ſanctiſſimus, dùm vitam eremiticam duceret, Diuina reuelatione monitus, ad eundem locum peruenit, duobus ſe Angelis comitantibus, cùm Beatiſſimo Mauro, & Placido Tertulli Patritij filio, alijſque nonnullis: Vbi Templa Idolorum deſtruens, Monaſteriumque conſtruens, Apoſtolicis illum decorauit virtutibus. Inter quæ dùm ei reuelatum fuiſſet, quod ſupradictus locus eſſet deſtruendus, & ob id inconſolabiliter fleret,

Omnipotentis Dei vocem ad ſe audiuit dicen-tem. Noli probatiſſime, & electiſſime Be-nedicte pro his, quæ huic euentura didiciſti loco mæſtum gerere animum, quoniam quod ſemel à Deo præfixum eſt, immutabile, atque irreuocabile eſt, ſolis tibi tuo merito conceſſis habitantium in loco animabus: ſed aderit Omnipotentis conſolatio Dei, qui locum iſtum in ampliorem, & multò meliorem, quàm nunc eſt, conſtituet gradum: & huius ordinis do-ctrina de hoc iterùm per totum Mundum ra-diabit loco. Quod poſt eiuſdem Patris obitum conſummatum eſt: Nàm à Longobardis per-uaſum, & igne crematum eſt. Fratres au-tem ad Apoſtolicam Sedem venientes, ex con-ceſſione Sancti Prædeceſſoris noſtri Pelagij, iuxtà Lateranenſe Palatium Monaſterium conſtruxere, atque per prolixum tempus habi-tauere. Sed cùm iam Omnipotens Deus cen-ſuiſſet, Caſſinenſe Cænobium reſtaurare, ac cænobialem inſtitutione, quæ indè principium ſumpſerat, ex eodem loco propagare: à Reue-rendiſſimo Gregorio Tertio prædeceſſore no-ſtro Petronax dilectus filius noſter, eſt ad re-ſtaurandum directus. Qui dùm ad eundem

Fauſtus in Prolog. vitæ S. Mauri.

locum

locum veniſſet, communis Pater noſter Gregorius ex hoc mundo migrauit: ſed poſt eius exceſſum, in Sede Apoſtolica cùm paruitas noſtra ſucceſſiſſet, opus ab illo inceptum in reſtauratione eiuſdem Cænobij (adiuuante Domino) ad finem vſque perduximus. Hæc autem eo die, quo Eccleſiam Sanctiſſimi Patris dedicauimus, paruitas noſtra obtulit: libros ſcilicet Sanctæ Scripturæ, & librum Regulæ, quam Sanctiſſimus Pater manu propria ſcripſerat, pondus etiam libræ panis, & menſurã vini, nec non diuerſa ad Eccleſiaſticum miniſterium ornamenta, & poſſeſsiones, Apoſtolica liberalitate conceſſimus. Qualiter autem eiuſdem Patris pignora, Sororiſque eius ſint poſita perſpicientes, ac intemerata inuenientes, pro reuerentia tanti Patris pertingere minimè auſi ſumus. Et quibuſdam interiectis, quæ ad confirmandas oblationes, & poſſeſsiones prædicti Cænobij pertinent, ſubdit Põtifex. *Prætereà corroboramus, et in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio, eiuſque ſucceſſoribus, in omni conuentu Epiſcoporum, & Principum, ſuperiorem omnibus Abbatibus ſedem: & in concilijs, & iudicijs*

Paulus Diaconus lib. 6. c. 40.

Leo Oſtienſis libr. 1. Chro. Caſſin. cap. 4.

dicijs priorem ſui ordinis omnibus proferreſententiam, pro reuerentia tanti loci, qui primum, & ſummum Monaſticæ legis latorem, viuum, & mortuum in perpetuum retinere promeruit: quiquè ipſius legis lationem in eodem Caſſinenſi Cænobio ſcribens, verbo, & exemplo canobitale propoſitum appetentibus, in toto Mundo Sole clariùs euibrauit. Pro quo, Caſſinenſe Cœnobium exaltantes decernimus, & in perpetuum confirmamus, vt ſupradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia præcellat omnia monaſteria, quæ conſtituta, vel conſtituenda ſunt in toto Orbe terrarum. Abbáſque eiuſdem loci celſior, & celebrior exiſtat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus: Illicque lex monaſtici Ordinis caput teneat, ac principatum, vbi eiuſdem legis deſcriptor Benedictus Pater Sanctiſſimus eandem deſcribens promulgauit Regulam: ibique Abbates, & Monachi honorem, ac reuerentiam deferant, & ibi vſque ad diem iudicij quærant rectorem, vbi Monachorum vniuerſalis Magiſter, & Doctor Benedictus Pater almificus corporaliter vnà cùm Sorore ſua quieſcens, glorioſæ Reſurrectionis

ctionis diem expectat. Defuncto autem Abbate, ex ſe ſe ipſa Congregatio ſecundum ſanius conſilium ſapientum, & ſeniorum fratrum, ſibi Abbatem eligat, & Apoſtolicæ Sedis Pontifici firmandum, & conſecrandum exhibeat: nec aliter ibi Abbas conſtituatur, aut alunde illuc intromittatur: niſi fortè ex ſe aliquem tanto regimini idoneum non hab uerint, & ob id ſaniori conſilio extraneum ſibi elegerint. Inſuper autem præſenti priuilegio, ſupradictum locum vnà cùm omnibus ſibi pertinentibus Eccleſijs, & poſſeſſionibus per totum Orbem roboramus: atque vt nullius alterius Eccleſiæ niſi Romani Pontificis ditioni ſubmittatur, autboritate Apoſtolica interdicimus. Ita, vt niſi ab Abbate, vel Præpoſito fuerit inuitatus, miſſarum ſolemnitatem nullus Epiſcopus celebrare præſumat in eiſdem poſſeſsionibus: quod à præſenti prima indictione ireuocabiliter in perpetuum ſtabilimus retinendum, & cùm Dei timore ſeruandum, &c.

In fine autem Diplomatis ſic habet; *Scriptum per manus Leonis Notarij, atque Scriniarij Chariſſimæ Romanæ Eccleſiæ in menſe*

menſe Ianuario per indictionem ſupraſcriptam prima m.
Subiacet his ſigillum, nempè circulus quadrifidus in formã Crucis, cùm nominibus Ieſu Chriſti, ac Sanctorum Petri, & Pauli, circumcircà verò eiuſmodi habens inſcriptionem. ✠. *Zachariæ, Sanctæ, Romanæ, & Apoſtolicæ, Sedis, Papæ.* Poſt ſigillum iſta ſubijcitur ſubſcriptio. *Datum duodecimo Calendarum Martiarum Aquini per manum Benedicti Epiſcopi Sanctæ Siluæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno Deo propitio Pontificatus Domini noſtri Zachariæ Summi Pontificis, & vniuerſalis Papæ in Sanctiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli primo, in menſe Martio, Indictione ſupraſcripta prima.*

CAP. IIII.

CIRCA hoc Zachariæ Diploma, nonnulla conſideratione digna, ſunt adnotanda. Primum, Monaſterium Caſſinenſe vocari, & eſſe caput omnium totius Orbis Cœnobiorum: quod nõ ſolùm Zacharias hic, verum etiam Alexander, & Vrbanus Secundi in ſuis Diplomatibus, infrà adducendis, aſſerunt.

Primum Notab.

Notandum ſecundo, quod Abbatibus Caſſinenſibus ſupremus locus ſuper omnes Abbates eandẽ Regulam profitentes à Summis Pontificibus fuit cõceſſus: vt patet ex pręſenti Zachariæ priuilegio, nec nõ ex alio Vrbani V. expedito Romę apud Sanctum Petrum Quinto Nonas Martij, Pontificatus eiuſdem anno octauo. Et nè quis priuilegium iſtud ad ſolos Italiæ, vel Congrogationis Caſſinenſis Abbates aſſerat reſtringendum, conſideret verba Zachariæ Papę in hoc priuilegio. *Proquo*, ait,

Secundum Notab.

ait, Caſſinenſe Cænobium exaltantes decernimus, & in perpetuum confirmamus, vt ſupradictus locus dignitate, vigore, & honorificentia præcellat omnia Monaſteria, quæ conſtituta, vel conſtituenda ſunt in toto Orbe terrarum. Abbaſque eiuſdem loci celſior, ac celebrior exiſtat omnibus Abbatibus, eandem Regulam tenentibus. In toto Orbe dixit, non in Italia tantùm. Vndè refert Petrus Diaconus lib. 4. Chro. Caſſinenſ. ca. 61. in impreſſis, in M. S. verò cap. 60. quod Paſchalis Papa Secundus mediante quadrageſima Synodum Romæ celebrare diſpoſuit: ad quam dùm Pontius Abbas Cluniacenſis veniſſet, atq; Abbatem Abbatum ſe iactaret: rogatus à Ioanne Cancellario, Cluniacenſes à Caſſinenſibus an vero Caſſinẽſes à Cluniacẽſibus Regulã sũpſiſſent: reſpondit Pontius, Non modò Cluniacenſes, verùm omnes in Romano Orbe Monachos Regulam B. Patris Benedicti à Caſſinenſi accepiſſe Cænobio. Ergo, inquit, Cancellarius, ſi à Caſſinenſi Monaſterio, tanquam à viuo fonte Monaſticæ Religionis norma manauit, iure à Roma- Petr. Diac.

nis Pontificibus Caſſinenſi Abbati hæc prærogatiua conceſſa eſt, vt ipſe ſolus, qui tanti legiferi Vicarius eſt, Abbas Abbatum appelletur. Vndè Vrbanus prædictus, qui poſt hæc omnia ſedit, in præfato priuilegio ita ait. *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium, & ex certa noſtra ſcientia concedimus, & etiam ordinamus, quod Abbas prædicti Monaſterij, qui eſt, & erit pro tempore, in Concilijs, Synodis, & alijs quibuſcunque locis, antè alios Abbates, etiam Cluniacenſes, & Ciſtertienſes, ac Sancti Victoris Maſſilienſis, & aliorum quorumcumque Monaſteriorum habeat, & habere debeat primum locum, & eos præcedat.* Notandum tertio quod Summi Pontifices curam peculiarem huius Monaſterij gerebant: vndè Gregorius Tertius, & Zacharias iſte primus, de quo nunc agimus, illud reſtaurare, ac reædificare curarunt: ita etiam poſt multa ſecula Vrbanus Quintus cernens præfatum Monaſterium terremotus concuſſione collapſum, eius inſtaurationi vigilantiſſimè incubuit, vt patet ex eiuſdem litteris Apoſtolicis, datis Romę

Vrban. V.

Tertium notab.

Vrban. V.

apud

apud S. Petrum decimoquinto calendas Martij Pontificatus ſui anno ſeptimo: in quibus præcipit cuidam Hugoni de Creſcello Priori Prioratus Villenouæ crematæ Biterenſis Diœceſis: vt pro reparatione, & inſtauratione Monaſterij Caſſinenſis, concuſſione terremotus miſerabili caſu diruti, ac pœnitus collapſi, de redditibus, & prouentibus omnium, & quorumcũq; Monaſteriorum, ac Prioratuum, Dignitatum, Officiorum, Adminiſtrationum, & Aliorum Beneficiorum quocumque nomine cenſeantur, tàm Monachorum nigrorum, quàm alborum ordinis Sancti Benedicti, exemptorum, & non exemptorum, vbicumque conſtitutorum, virorum dumtaxat, exigat ſexageſimam partem, quam ſoluere teneantur per biennium, a prædicto die incipiendum, in feſtiuitate omnium Sanctorum. Vbi expreſsè Pontifex declarat, Monaſterium Cluniacenſe cùm ſuis membris, ac S. Victoris Maſſilienſis, debere ſoluere quandam partem ab ipſo taxatam. Non ſic profecto non ſic curauerunt Romani Pontifi-

tifices, reparationem, ac reſtaurationem Floriaccenſis Monaſterij toties collapſi, & deſtructi, quantumcumq; ipſius Monachi iactanter, ac gloriãter aſſererent, Corpus B.P. Benedicti apud ipſos requieſcere.

Quartum Notab. Quartum, quod ex hoc Diſplomate annotandum videtur, eſt, Sanctiſsimum Patrem Benedictum, Regulam à ſe deſcriptam, in Caſsinenſi Monaſterio, dùm adhuc viueret, promulgaſſe: hoc enim aſſerit Pontifex, & ad hoc B. Pater illam ſcripſit, vt Monachi eam obſeruarent, iuxtà illud eiuſdem Regulæ cap. 3. *In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam.* Id autem facere non poterant, niſi Regula ſeruanda eis innoteſceret. Certè is, qui aliquam benè ordinatam Rēpublicam inſtituere intendit, primùm leges vtiles condere ſatagit, quibus populus inſtructus, in ſuis dirigatur actionibus, quibus in officio contineatur, quibus ad bonum prouocetur, & arceatur à malo, quibus deniquè totius Reipublicæ dignoſcatur ordo, & quid muneris, & officij

cuique

cuique incumbat ab vniuerſis intelligatur, ita feciſſe Solonem, Licurgum, cæteroſque legis latores, manifeſtum eſt. Similiter B. Pater Benedictus volens Cænobitarum vitam inſtituere, & ordinare (vt ipſe cap. 2. ſuæ Regulæ ad calcem aſſerit) antè omnia legem condidit, Sanctam ſcilicet Regulam, ſub qua omnes viuere, ac militare deberent, quapropter eandem ipſis obſeruandam propoſuit. Sciebat enim inutiles, & abſque fructu eſſe leges, & ſtatuta, niſi ijs, à quibus ſunt obſeruandæ proponantur, & publicentur. Vndè & ipſe Deus legem, quam in Monte Sinai condiderat, ac Moyſi famulo ſuo tradiderat, voluit ſtatim vniuerſo populo legi, ac promulgari, quia ſciebat, nil prodeſſe legem ferre, niſi his, à quibus ſeruanda eſt, proponatur, & nota fiat. Sic itaque fecit Monachorum legis lator Benedictus, ſicque de cætero fieri voluit, vt venientibus ad conuerſionem, primùm omnium Regula legeretur. Vndè ca. 58. Regulæ ſuæ, quod eſt de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum; ita præcipit. *Legatur*

Exod. 20. & ſequ.

tur

tur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, ſub qua militare vis. & cap. 64. cùm Abbatibus loquens, ait. *Et præcipuè vt præſentem Regulam in omnibus conſeruet*. Et ca. 66. *Hanc autem regulam ſæpius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum, ſe de ignorantia excuſet*. Et ca. 73 docet quò fine Regulam ſuam deſcripſerit, dùm ait. *Regulam autem hanc deſcripſimus, vt eam obſeruantes in Monaſterijs, &c.* & infra. *Quiſquis ergò ad Patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam incohationis Regulam deſcriptam, adiuuante Chriſto perfice*. Quibus in locis notanda ſunt verba illa, hæc Regula, præſentem Regulam, & hāc Regulam, ne quis putet Sanctum Patrem, non de ſua, ſed de alicuius alterius Regula, fuiſſe loquutum. Vndè quando B. Maurum in Gallias ad propagandam Monaſticam Religionem miſit, Regulam manu ſua conſcriptam, iuxtà quam nouiter ad Religionem venientes inſtituendi erant, illi tradidit, vt ait Fauſtus in vita Sancti Mauri. Similiter & B. Placidus quando in Siciliam profectus eſt, Regulam Magi-

ſtri

ſtri ſui ſecum detulit. Sic & valentinianus eiuſdem S.Patris Diſcipulus, qui (teſte B. lib.2.Dial. in princ. Gregorio) multis annis Lateranenſi Monaſterio, præfuit, iuxtà Regulam Sancti Benedicti vixit, & alios ad ſe venientes viuere docuit. Et in Monaſterio iuxtà Tarracinenſem Vrbem conſtituto, Monachi iuxtà Regulam eiuſdem Patris, ipſo adhuc ſuperſtite, viuebant, vt idem Gregorius docet libr.4. Dialog. cap.8. Idem lib.4 ca.8. dicendum de Monaſterio Sublacenſi, & alijs vndecim à B. Patre Benedicto conſtructis. quod confirmant lectiones Breuiarij Romani nuper recogniti, vbi hæc habentur. *Sed cùm multi ad eum quotidie Diſcipuli conuenirent, duodecim Monaſteria ædificauit, eaque ſanctiſſimis legibus communiuit.* Maneat igitur firma, & inconcuſſa hæc veritas: Beatus Pater Benedictus Regulam, quam ſcripſit, Monachis ſuis promulgauit, atque obſeruandam tradidit.

CAP. V.

Petr.Diac.

OBIICIET autem quiſpiam: Si hæc ita ſe habent, vt nos aſſerimus, quid ſibi vult Petrus Diaconus in libro de Viris Illuſtribus Caſſinenſibus in Simplicio, dùm ait. *Simplicius Sanctiſſimi Benedicti Diſcipulus, ac poſt eum tertius in Caſſino Abbas effectus, Regulam, quam ſuus Magiſter ediderat (ſiuè vt alij legunt, condiderat) publicè legendam omnibus Monachis tradidit?* Reſpondeo primùm, Simplicium ordinaſſe, vt in publicis conuentibus regula coram omnibus legeretur, cùm antea priuatim à Monachis legi conſueuiſſet. Dico ſecundo Simplicium publicaſſe, ſiuè promulgaſſe Magiſtri ſui Benedicti Regulam, non quidem ſuis Monachis (quibus iam notiſſima erat, & ſecundum quam vitam ſuam inſtituebant.) ſed alijs etiam alterius Congregationis, & inſtituti viris, qui fama peruulgante,

gante, intellexerant, Regulam illam eſſe ſanctiſſimam, atque diſcretione præcipuam: cumque eius deſiderio tenerentur, ac participes fieri cuperent tanti boni, ad præfatum ſimplicium Caſſinenſem Abbatem ſupplices obtulerunt preces, flagitantes, vt eandem Regulam illis tranſmittere dignaretur: Imò non defuerunt Abbates, qui quoſdam ex ſuis Monachis ad Caſſinenſe Cœnobium deſtinarent, quatenus Regularem ibi, iuxtà B. Benedicti inſtitutum, diſciplinam, & normam addiſcentes, eandem poſteà in ſuis Monaſterijs docere poſſent.

Cauendus ergò Antonius Gallonius, qui nè cogeretur concedere, quod ſemel negauerat, ſcilicet, B. Benedictum Regulam ſuam Monachis ſuis promulgaſſe, interpratatus eſt verbum condidit, pro abſcondit, & occultauit. Ita quod ſecundum iſtum B. Benedictus dùm dicitur Regulam condidiſſe, intelligendus eſt abſcondiſſe, & occultaſſe. Scio verbum condere ſignificare aliquando abſcondere: ſed cùm dicitur de legibus, & legis latoribus,

In Apologia aduerſ que Conſtantinum Bellotam, pag. 50.

leges condentibus, numquã in hac ſignificatione vſurpatum fuiſſe credo. Eſt enim & contrà officium legis latoris, & contra rationem legis, vt abſcondatur: Nam quorſum abſcondenda ſunt, quæ vt omnibus nota ſint, conduntur, ſiuè ſcribuntur? Theſaurus inuiſus, & ſapientia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque? Et Chriſtus Dominus. Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Profectò Regula Sancti Benedicti lucerna quædam fulgentiſsima eſt in Eccleſia Chriſti. Cur ergo erat abſcondenda ſub modio? Cur in arca includenda? Cur priuandi homines, propter quos ſcripta erat, huius luminis claritate? Seruum, qui talentum à Domino ſuo acceptum, abſcondit, legimus reprehenſum, atque punitum. B. ergò Benedictus, ne ſimili reprehenſione dignus eſſet, ac pœna, talentum ſibi creditum ad menſam poſuit, quod Dominus magnis cùm vſuris exegit, ſicut & quotidie exigit.

Eccleſ. 20. Lucæ 11.

Sed

Sed vide quid rurſum opponit interpres iſte. *Inuenitur,* inquit, *in Bibliotheca Vaticana veterrimus Codex, in quo ipſa S. Benedicti Regula deſcripta habetur, & poſt eam Martyrologium Vſuardi eiuſdem antiquitatis, Antè ipſam autem Regulam breuis præfatio præpoſita legitur his ipſis verbis. Incipit prologus de Regula Sancti Benedicti Abbatis. Qui leui iugo Chriſti colla ſubmittere cupis, Regulæ ſpontè da mentem, dulcia vt capias mella. Hic teſtamenti veteris, nouique cuncta mandata. Hic ordo Diuinus. Hicque caſtiſſima vita. Hoc Benedictus Pater conſtituit ſacrum volumen, ſuiſq; mandauit hæc ſeruanda alumnis. Simplicius Chriſti Miniſter, Magiſtri latens opus propagauit (alias publicauit) vt omnes, Vna tamen merces vtroſque manet in æternum.* Hæc Gallonius ex libro illo veterrimo, de quo priùs dixerat: *Nuper inuenimus teſtificationem quidem omni fide maiorem.* Cùm audis teſtificationem iſtam eſſe omni fide maiorem, quid cogitas prudens lector? Nunquid non attendis, quantum iſte extollit ſua teſtimonia? Sed perpendamus

paululum

paululum quęnam eſt hęc teſtificatio omni fide maior, quiſue huius prologi Auctor, vt talis, tantaque habenda ſit eius auctoritas. Numquid Spiritus ſanctus? Numquid Apoſtolus aliquis, aut Euangeliſta, vel alius quiſpiam Canonicus Scriptor? Nolo omnia ad viuum reſecare: Admitto vniuerſa, quæ ibi dicuntur, concedo, librum eſſe magnæ auctoritatis, ac venerandę vetuſtatis? Hoc idem teſtimonium quod Gallonius pro ſe adducit, reperi in Caſsinenſi Bibliotheca, in regiſtro librorum manu ſcriptorum numer. 149. qui eſt tomus primus operum Petri Diaconi: Vbi exponens Petrus Regulam Sanctiſsimi Patris Benedicti, pariter declarat quendam titulum eidem Regulæ à Sancto Simplicio Caſsinenſi Abbate pręfixum, qui de verbo ad verbum fideliter tranſcriptus, hæc habet.

Qui leui iugo Chriſti colla ſubmittere cupis,
Regulæ ſpōte da mētē, dulcia vt capias mella.
Hic teſtamenti veteris, nouique mandata,
Hic ordo diuinus, hicque caſtiſsima vita.
Hoc Benedictus pater cōſtituit ſacrū volumē,

Suiſque

Suiſque mandauit hæc ſeruanda alumnis,
Simplicius famulus Chriſtique miniſter,
Magiſtri latens opus propagauit in omnes:
Vna tamen merces vtriſque manebit in æuum.

Hęc ibi.

Ex his habemus tituli huius auctorem fuiſſe Sanctũ Simplicium Abbatem Caſſinenſem, quem vel prodere noluit Gallonius, ne cogeretur fateri, Simplicium Abbatem fuiſſe Caſsinenſem: vel forte non potuit, quia in illo ſuo veterrimo codice, auctoris nomen expreſſum non inuenit. Quicquid ſit de hoc, videndum omnino eſt, quid ex hoc teſtimonio colligi poſsit contra nos. Ego etenim vniuerſa nobis fauere arbitror. Nota verba. *Hoc Benedictus Pater conſtituit ſacrum volumen: ſuiſq; mandauit hæc ſeruanda Alumnis.* Hoc eſt quod nos dicimus, Sanctiſsimum Patrem Benedictum Regulam conſtituiſſe, ſuiſque Alumnis eam ſeruandam tradidiſſe, non autem abſcondiſſe. Sequitur in libro. *Simplicius Chriſti miniſter Magiſtri latens opus propagauit vt omnes.* Siue vt noſter codex habet, *in omnes*, Ideſt,

non eam publicauit ſuis Monachis, de quibus ſuperiori verſu dixerat, Beatum Benedictum ſuis mandaſſe hæc ſeruanda alumnis: Sed Regulam propagauit, ſeu publicauit, vt omnes in vniuerſum Monachi cuiuſcumque inſtituti fuiſſent, huius Sanctę Regulę participes fierent. Opus igitur, quod apud ſolos Congregationis Caſsinenſis Monachos, quaſi clauſum, & latens tenebatur, Simplicij opera omnibus propalatum eſt, ac promulgatum.

CAP. VI.

SED pergit impugnare hanc veritatem auctor iſte, negando fuiſſe aliquem Simplicium Caſſinenſem Abbatem, ſed illum tantum Simplicium, qui à Beato Patre Benedicto vnà cùm Beato Mauro, & alijs in Gallias directus eſt: cumque ille è Gallijs non redierit, niſi anno ab obitu S. Patris Benedi-

cti

cti non fuiſſe prmulgatam antè quadra-
geſimum ab ipſius obitu annum. Ad hoc
dico primùm, me hoc in loco non ſuſcepiſ-
ſe diſputationem ſuper propagatione, ſeu
publicatione Regulæ, facta à Simplicio:
ſed tantum de promulgatione facta à B.
Patre Benedicto, de qua loquitur hoc in
loco Zacharias Papa, aſſeritq; factam fu-
iſſe in Monaſterio Caſſinenſi: cui nihil
officit illa alia promulgatio, ſeu propaga-
tio facta à Simplicio. Secundo dico, pu-
blicationem illam à Simplicio factam,
non fuiſſe factam à Simplicio illo, qui cùm
Beato Mauro in Galliam eſt profectus,
ſed ab illo, qui fuit tertius Monaſterij Caſ
ſinenſis Abbas, vt patet ex Paulo Diaco-
no lib. 4. cap. 18. Leone Oſtienſi libr. 1.
Chron. Caſsinenſis capit. 2. Petro Dia-
cono in libro de ortu, & vita iuſtorum
Cænobij Caſsinenſis. Et ſermone in octa-
ua Sancti Benedicti, & alijs, qui ſeriem
Abbatum Monaſterij Caſsinenſis texue-
runt. Sed age ò lector, ſiſte pauliſper
gradum, & attende quibus modis impu-
gnare cõtendat Gallonius veritatẽ hãc de

promulgatione Regulæ Sancti Patris Benedicti.

Conſtantinus Bellotus Monachus Congregationis Caſsinenſis, aduerſus quem Gallonius Apologeticum amarulentum ſcripſit: vt probaret Regulam Sancti Patri Benedicti fuiſſe promulgatam per omnes ferè Italiæ regiones, tempore Simplicij tertij Abbatis Cænobij Caſsinenſis: adduxit quandam epiſtolam cuiuſdam Bernardi Abbatis ad prefatum Simplicium Abbatem, tenoris ſequentis.

Reuerendiſs. Monachorum P. Simplicio Bernardus Abbas Monaſterij apud Fundanā Vrbem, obedientiæ ſubiectionem. Experientia compertum eſt, multorum rectorum mores, varias viuendi normas in Monaſterijs peperiſſe. Hinc factum eſt, vt iam omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum Prouintiarum Italiæ certam, & rectam Regulam viuendi, quam Sanctiſsimus, & Deo acceptiſsimus Benedictus Magiſter tuus inſtituit, ſeruare decreuerint: vt iuxtà illam viuentes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare præſumant.

mant. Hanc ego ſeruandam propoſui huic Congregationi, cùm nuper me in ſuum Abbatem elegerit indignũ. Quam cupientes in hoc Monaſterio, ſicut in Caſsinenſi Monaſterio obſeruare inuiolabiliter, decreuimus ad ſanctitatem veſtram deſtinare Religioſos ex eadem Congregatione viros, Hugonem, & Paulum fratres noſtros, iuxtà prædictam Sanctam Regulam, & obſeruantiam pleniùs inſtruendos in Caſsinenſi Sancta Congregatione: quos commendatos apud Paternitatem tuam humili obſequio rogamus. Datum in Monaſterio propè Vrbem Fundanam ſeptimo Calendis Aprilis.

Gallonius itaque priuſquam in hanc inſurgat Epiſtolam, quam more ſuo, falſam, & commentitiam eſſe contendit, iſta præfatur. *Iam verò maximi momenti aggredior quæſtionem, in qua cupio lectorem attentum: eo quod diſſerendum ſit de falſitate citatæ ab eo* (Conſtãtino Belloto) *cuiuſdam epiſtolæ à nobis hic recitandæ: quæ ſi abſte germana oſtendi potuiſſet, tibi ſine controuerſia cedendum fuiſſet. Affers numquam hactenus viſam epiſtolam nomine cuiuſdam Bernardi*

Abbatis Monaſterij Sancti Honorati ad Simplicium Monaſterij Caſsinenſis Abbatem, quam ab ipſo eius titulo redarguere incipimus impoſturæ. Sic iſte. Quæſtionem maximi momēti aſſeris, te aggredi, ò Galloni, in qua totius contentionis, & diſputationis cardo verſatur, & tamen argumenta, & rationes nullius ponderis, & momenti producis. Lectorem attentum cupis, habes attentiorem, quàm optas, quippequi non ſolum argumenta, rationes, & ſententias, quibus hanc epiſtolam euertere conaberis, attendet, verùm etiam ſingula quęque verba, ſyllabas, apices, & accentus ponderabit. Loquere igitur, & ad arguendam epiſtolam alacer procede.

CAP. VII.

ARGVIT ergò epiſtolam impoſturæ. Primùm à nomine tum Abbatis Bernardi, tum etiam Hugonis Monachi, de quo in epiſto-

ſtola. Argumentum autem eius tale eſt. Tempore D. Gregorij nondũ introducta noſcuntur Bernardi & Hugonis nomina, ergo epiſtola conficta eſt ab aliquo recentiore, qui vixerit, eo tempore, quo nomina hęc in vſu haberi cœperunt. Ad hoc argumentum poſſem ſcholaſticè reſpondere negando antecedens: ſed volo paululum expendere verba. Dixerat ſupra Gallonius: *Affers nunquam hactenus viſam epiſtolam.* Vide hominis ſupercilium, quaſi nemini poſsit eſſe notum, quod ſibi incognitum ſit: quaſi ipſe ſit omnia ſciens, & nihil ipſum latere queat. Si quis ſciret vniuerſa, quæ Gallonius ignorat, doctiſsimus profecto eſſet. Dic mihi ò bone vir, nunquid omnes, quę in Mundo ſcriptæ ſunt, epiſtolę ad manus tuas peruenere? Quid mirum ergò, ſi hanc hucuſque non videris? Idem de Bernardi & Hugonis nominibus dico. Noſti ne nomina omnium hominum, qui temporibus Gregorij, aut Benedicti viuebant in Mundo? Negabis credo. Cum hoc non potuerit tibi eſſe notum, niſi ex Diuina reuelatio-

ne, quam in hac parte nego te habuiſſe; aut niſi fortè dicere velis, exijſſe tunc temporis, edictum, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis, qua deſcriptione à te perlecta, nullum ibi inueneris Hugonem, neque Bernardum. Si ita eſt, tacere me oportet: ſed cũ ita non ſit, miror quomodo affirmare audes, temporibus illis nullum in mundo fuiſſe, qui Bernardus vocaretur, aut Hugo: vel (quod in idem recidit) non fuiſſe tunc cognita in mundo iſta nomina. Certè nec modò ſcis nomina omnium, non dico in Italia, ſed nec Romæ commorantium hominum: quomodo ergò ſcire poteris nomina Monachorum, qui antè mille annos in Fundano Monaſterio viuebant? Dimitte illis ſuos Bernardos, & Hugones, quantumuis tibi incognitos: permitte aliquid eſſe notum alijs, quod tibi adhuc ignotum ſit. Noli quæ omninò improbabilia ſunt, probare contendere, Noli impoſsibilia aſſerere: ne dicant, qui audiunt, vel legunt, te falli, aut fallere velle. En tibi quid probat primum argumentum tuum.

Secundum autem ſimile eſt huic, niſi quod illic aduerſus nomina Bernardi, & Hugonis, hic autem aduerſus Simplicij tertij Caſsinenſis Abbatis perſonam inſurgit: quem, vt confundat cum altero Simplicio, qui in Gallias cum Beato Mauro eſt profectus, cælum, & terram miſcet, dumq; ex Fauſto Beati Mauri, ac Simplicij comite id probare conatur, contraria prorſus Fauſto aſſerit: Imò D. Gregorium malè intellectum in ſuum patrocinium pertrahere contendit: erroremquè ſemel imbibitum, potius cumulatis erroribus vult defendere, quam lapſum ſeu errorem ſuum humiliter confiteri. Sicut ergò quidam vnam perſonam in duas, vel tres ſecant, vt videre eſt in Iacobo minore, & Magdalenà: ſic iſte è contrario, ex duobus Simplicijs vnum compingere nititur, at fruſtrà; contraria enim ſuccedent votis euenta, vt ex ſequentibus patebit. Argumentum itaque ſecundum Gallonij tale eſt. Fauſtus Beati Benedicti Diſcipulus in vita Sancti Mauri, vnius tantum Simplicij (qui vnà ſecum in Gallias profectus

eſt) meminit, is autem non fuit tertius Caſſinenſis Abbas, ergò nullus Simplicius fuit Caſſinenſis Abbas. Bellum profecto argumentum, tali prorſus dignum auctore, vtique oſtendit nouum argumentandi modum, qui hactenus à logicis nondum fuerat adinuentus. In quo ex duabus præmiſſis ſingularibus, infertur concluſio vniuerſalis. Profecto ſi ita argumentari liceret, facilè quiſque probaret quod vellet. Argumentor ſic hac noua
2. Petr. 3. argumentandi forma. Beatus Petrus vnius tantum Pauli meminit in ſuis epiſtolis, is autem non fuit Paulus Inſulæ Cypri Proconſul, ergò nullus Paulus fuit tunc Inſulæ Cypri Proconſul. Nego conſequentiam. Nam quamuis Paulus Apoſtolus non fuerit Cypri Proconſul, fuit tamen
Acto. 13. alius quidam Paulus, de quo agitur Actorum. 13. ſimiliter quamuis Simplicius Fauſti comes non fuerit Abbas Caſſinenſis tertius, fuit tamen alius Simplicius, de quo agunt Paulus Diaconus, Leo Oſtienſis, & Petrus Diaconus ſupracitati, cùm alijs multis, qui cathalogum Abbatum

Caſſinenſis texuerunt: Sed audi quid dicat Gallonius. Errant, & falluntur omnes ſupradicti auctores: nam Simplicius non fuit tertius Caſſinenſis, ſed tertius Lateranenſis Monaſterij Abbas. Idque probare contendit ex D. Gregorio in principio ſecundi libri Dialogorum: Vbi enumerans eos viros, à quibus miranda Beati Benedicti geſta perceperat, ſic ait. *Huius ergò omnia geſta non didici, ſed pauca, quæ narro, quatuor Diſcipulis illius referentibus, agnoui: Conſtantino, ſcilicet, reuerentiſsimo valdè viro, qui ei in monaſterij regimine ſucceſsit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit: Simplicio, qui Congregationem illius poſt eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conuerſatus fuerat, præeſt.* Hęc Gregorius. Verùm quia ego videre non poſſum, in quibus ex his verbis aſſerat Diuus Gregorius, Simplicium fuiſſe tertium Abbatem Lateranenſem, oro te, ò Galloni oculatiſsime, vt ediſſeras nobis parabolam iſtam. Ait: *In illis verbis: Simplicio, qui Congregationem illius poſt eum*

tertius rexit. *Etenim pronomen*, *illius*, *ibi appoſitum*, *ad Valentinianum referendum eſt*: *Cùmque iſte fuerit Lateranenſis Abbas*, *de Simplicio idem aſſerendum eſt*. At vnde noſti ad Valentinianum potius, referendum eſſe pronomen illud (vt tu primus, & ſolus poſt mille annos affirmas) quàm ad B. Benedictum, de quo inſtituta fuerat oratio, & ab antiquo omnes intellexerūt? Gregorius certè non dixit, Simplicium illum fuiſſe Abbatē Lateranensē nec dixit, fuiſſe Fauſti Comitem: ſed tu ex Gregorio malè intellecto id perperam colligis: quod ſi maiora fundamenta ad id probandum, & corroborandum non attuleris, corruet profectò vniuerſum ędificium, quod ſuper tam debile fundamentum niteris ſtabilire. Equidem Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius (cui, vt par eſt, multùm deferre debemus omnes, tu verò plurimùm) non Simplicium, ſed Honoratum quendam, tertium conſtituit Lateranenſis Cœnobij Abbatem, tomo ſeptimo pag. 586. Baronius.
Fauſtus. Fauſtus verò, cuius verba, & ſcripta (vt tu ipſe aſſeris pag. 34.) omnes vt Diuinum

ora-

oraculum conſueuerunt accipere, in præfatione ad vitam S. Mauri, Theodorum quendam tertium Lateranenſis Monaſterij Abbatem conſtituit, cuius iuſſu vitam S. Mauri deſcripſit. Ecce tres Abbates Lateranenſes, omnes ordine tertios, videlicet, Honoratum, iuxtà Baronium; Simplicium iuxtà Gallonium; Theodorum ſecundum Fauſtum: conſtat autem nulló modo eſſe potuiſſe omnes in ordine tertios, ſed alterum illorum tantùm. Vides ne in quas anguſtias, vt errorem vnum defenderes, te iniecisti? Certè nemo eſt, qui non videat in eadem ſerie rerum, ſiue hominum ſit, ſiue lapidum, eſſe non poſſe duos, nec tres tertios in ordine, vel quartos. Dic ergò nobis, ex his tribus, quis fuit verè tertius Lateranenſis Abbas? Simplicius, inquit. Non igitur Honoratus, vt vult Cardinalis Baronius: nec Theodorus, vt Fauſtus aſſerit: ruit ergò Fauſti authoritas, quam vt Diuinum oraculũ accipere conſueuerunt omnes. Nequaquã ait: ſed vtrumque verum eſt, Simplicium videlicet, ac Theodorum fuiſſe in ordine

tertios Lteranenſis Cænobij Abbatis. Mirabilia, & quæ omnem fidem ſuperant, nobis narras: doce ergò nos, quomodò poſſunt hæc fieri. Notate commentum, quod meditatus eſt. Ait enim, Simplicius fuit tertius Abbas Lateranenſis numerando ab ipſo Valentiniano incluſiue: Theodorus verò fuit etiam tertius numerando nõ à Valentiniano, ſed ab eo, qui proximè illi ſucceſſit: Priori modo numerauit Gregorius, poſteriori Fauſtus. Sic Gallonius. Ita ne iocari libet in re ſeria? Si ita numerare licet, atque ordinare Pontificum, Regum, vel aliorum ſeriem, omnia peſſum ibunt, & confundentur. Sic enim quicumque Pontifex, ſeu Abbas erit in ordine tertius, vel quartus: Nam dicam ego: Beatiſſimus Paulus, qui hodie in Beati Petri ſede reſidet, eſt in ordine Pontificum huius nominis Quartus, computando ſcilicet à ſecundo; & eſt ſecundus computando à quarto: Ipſe tamen re vera Quintus eſt huius nominis, non ſecundus, nec quartus.

Sed videamus vndè conſtet, Gregorium,

& Fauſtum ita numeraſſe, vt tu confingis. Aliàs, inquit, magna, eſſet diſcrepantia inter Fauſtum, & Gregorium. O vafer: Non diſcrepat Fauſtus à Gregorio, ſed à Gallonio perperam intelligente, ac in prauum ſenſum detorquente Gregorium. Siquidem Gregorius non ait, Simplicium tertium fuiſſe Lateranenſem Abbatem, ſic enim diſcreparet à Fauſto: ſed dicit, velis, nolis, Simplicium fuiſſe tertium Congregationis S. Benedicti Abbatem: quem quidem non dicimus fuiſſe illum Fauſti comitem, ſed alium omninò diuerſum: ad quem Bernardus Abbas Fundanus prędictam direxit epiſtolam: quam nec tu, nec alius conuincere poteris falſitatis, & imposturæ. Sed volo præſſiùs vrgere argumentum in gratiam tui. Volo, inquam, Beatum Gregorium explicite affirmare Simplicium tertium fuiſſe Lateranenſem Abbatem. Quid inde infers aduerſus Bernardi epiſtolam? Nihil. Non enim dicimus, eundem fuiſſe Simplicium, ſed diuerſos. Nec eſt cur tibi graue videatur concedere Beatum Benedictum inter

tot

tot diſcipulos duos habuiſſe Simplicios; cum Chriſtus Dominus inter duodecim Apoſtolos, duos Simones, duos Iacobos, ac duos Iudas habuerit.

CAP. VIII.

DICIS præterea, Paulum Diaconum, & quotquot Simplicium in ſeriem Abbatum Caſſinenſium collocarunt, hallucinatos, & in errorem lapſos fuiſſe, ex eo quod prędicta Sancti Gregorij de Simplicio verba malè intellexerunt. Tu tu illa malè intellexiſti, ac perperam interpretari voluiſti, ſolum vt vel ſic illam ad Simplicium Bernardi epiſtolam, & vnà cum ipſa hoc Zachariæ priuilegium, alicualis falſitatis, & impoſturæ redarguere poſſes, ſed nihil ſtramineis telis tuis efficere potuiſti; alia ergò quære fortiora, & efficaciora, quę niſi epiſtolæ huic admoueris, remanebit ſemper ſtabilis in ſuo robore. Pergis

gis vlterius, & Petrum Diaconum ſugillas, quaſi primus fuerit, qui duos Simplicios introduxerit, alterum Fauſti comitem, Abbatem Caſſinenſem alterum. Erras profecto: Non enim Petrus duos Simplicios introduxit, ſed ab initio verè, ac legitimè introductos manutenuit, atque defendit: non quidem, vt aliquod argumentum, ſicut tu modò, fugeret, ſed vt ſimpliciter rei veritatem aſſereret. Nec eſt cur illum calumnieris de mutata, ſiuè correcta ſententia in lib. de viris illuſtr. Caſſinenſibus, in quo vnius tantum Simplicij meminit. Hoc enim ideo fecit, quia in eo libello non omnium virorum illuſtrium Caſſinenſium, ſed ſcriptorum tantum cathalogum texere intendebat: quod ex totius libri diſcurſu patet, vnde nec Beatos Maurum, & Placidum, qui aliàs primum locum tenere debuiſſent: nec Conſtantinum, Valentinianum, & Honoratum, illuſtres B. Patris Benedicti diſcipulos, quorum Gregorius meminit, vbi ſupra, in eo libro nominauit, quia nihil ſcripſiſſe reperiuntur. Vidiſti profecto, ô Galloni

ve-

veritatem hanc, ſed illam, ſupprimere voluiſti. Nequaquam ergò Petrus Diaconus ſententiam ſuam, in qua nihil corrigendum erat, correxit: ſed tua proculdubio figmenta corrigenda ſunt, quibus poſt mille annos, abſque aliqua præuia authoritate, pro ſolo animi arbitrio, ac pro ſolita libertate dicendi, ex duobus Simplicijs vnum conflare auſus es. Siquis autem noſſe deſiderat, quorſum longiſſimam hãc vſque ad nauſeam diſputationem aduerſus epiſtolam illam ſuſceperit Gallonius: audiat eundem ipſum ad calcem eiuſdem

Pag. 35. epiſtolæ ſic dicentem. *Ita deſcripta, & recitata abs te epiſtola, cuius artifex ſubdolus (quiſquis ille fuerit) id ex ea voluit poſſe probari, iam ipſo tempore Simplicij Abbatis, ad quem data habetur epiſtola, Prouinciæ Valeriæ Monachos ſub Sancti Benedicti Regula profiteri cæpiſſe: Sicque Valentionem illum primum Abbatem, & inſtitutorem Sancti Gregorij, Monachum fuiſſe Benedictinum. Ita quidem. Si enim vera fuiſſe oſtendi poſſet epiſtola iam cauſa tota eſſet euicta, ac perorata, tibique Conſtantine adiudicata: ſed quoniam mani-*

manifeſtæ conuincitur falſitatis, te eadem cauſa cadere, certum eſt. Hæc ibi Gallonius: qui antè victoriam triumphum canit: oportebat expectare ſententiam legitimi iudicis, & non contrà ius in cauſa propria iudicium ferre: nequaquam adhuc in ſuſpitionem alicuius minimæ falſitatis epiſtolam illam adducere potuiſti, & tu conuictam eſſe proclamas? Miror profectò perſuadere te tibi potuiſſe, argumenta à te adducta quicquam aduerſus epiſtolam illam concludere. Prudens lector ex ſuperius dictis, facilè iudicabit, te voluiſſe quidem, ſed non potuiſſe, falſitatis, & impoſturæ eam conuincere. Maneat ergò firmum Zachariæ Papæ aſſertum .ſ. *Beatum Patrem Benedictum Regulam quam ſcripſerat, dùm adhuc viueret, promulgaſſe, ac ſuis Monachis ſeruandam tradidiſſe:* quod præter ſuperius allata, probatur ex eo, quod Paulus Diaconus lib. 4. cap. 18. & Leo Oſtienſis lib. 1. cap. 2. & alij, agentes de fuga Monachorum Caſſinenſium tempore, quo à Longobardis inuaũ eſt, aſſerunt, Bonitum tunc Abbatem aſportaſſe ſecum

inter alia, codicem Sanctæ Regulæ manu Sancti Patris Benedicti ſcriptum. Habebant ergò Regulam penes ſe. Adde quod B. Benedictus à Deo ad dirigendas animas ſpetialiter electus, atque ad conſcribendam ſanctam Regulam ab ipſo impulſus: non benè munus ſuum adimpleſset, ſi Regulam Monachis, propter quos illam ſcribebat, occultaſset. Quid? Reliquit Monachis, & oſtendit pondus panis, & menſuram vini ad refectionem corporis adhibenda: Regulam autem, qua ſpiritualem vitam inſtituerent, non reliquit, nec promulgauit? Abſit de tali, ac tanto viro hoc credere. Sed dicendum omninò, B. Patrem Benedictum, normam Monaſticæ diſciplinæ, quam ab ipſo Deo per internum Spiritus Sancti magiſterium, ſinè fictione didicerat, ſinè inuidia in ſua Regula vniuerſis communicaſſe, & honeſtatem illius non abſcondiſſe. Qui autem contrarium aſtruere conantur, telas aranearum texunt, quibus muſcas fortè capere poſſunt, homines autem non poſſunt.

CAP.

CAP. VIIII.

QVINTVM in hoc Zachariæ priuilegio an notandum eſt: palam ex huius Pontificis teſtimonio conſtare, Corpora S. Patris Benedicti Virginiſque, ac ſororis eius Scholaſticæ fuiſſe tunc temporis apud Caſſinenſe Monaſterium ea enim aſſerit, ſe vidiſſe, ac intemerata inueniſſe, proq; reuerentia tanti Patris minimè pertingere auſum fuiſſe. Conſtat autem poſt Zachariæ tempora numquam beata illa oſſa indè fuiſſe ſublata; Scriptores enim qui de Beati Benedicti translatione tractant, omnes in vniuerſum factā fuiſſe multis ante Zachariæ Pontificatum annis affirmant: nos etiam conſtare faciemus multorum Summorū Pontificum teſtimonijs, qui vſque ad noſtra ferè tempora, huic veritati teſtimonium conſtans perhibuerunt, Corpus B. Patris Quintum Notab.

Benedicti in præfato Caſſinenſi Monaſterio requieſcere.

Hanc Zacharię Bullam tres Summi Pontifices poſteà confirmauerunt, eam de verbo ad verbum ſuis litteris inſerentes: vt nemini dubium eſſe poſſit de quo Zachariæ priuilegio loquantur. Primus fuit Grego-
Greg. IX. rius Nonus, cuius litteræ confirmatoriæ datę fuerunt Laterani, tertio Idus Aprilis, Pontificatus ſui anno Quinto. Secun-
Vrban. V. dus fuit Vrbanus Quintus, qui bis eaſdem litteras Zachariæ confirmauit: Primùm vnà cum confirmatione earundem litterarũ à Gregorio Nono facta; deindè ſeorſum Vrbanus ipſe eaſdem litteras confirmauit. Priores Vrbani litteræ datæ fuere Romę apud Sanctum Petrum, decimoquinto Calendas Februarij, Pontificatus ipſius anno ſeptimo. Poſteriores verò, apud Montem Flaſconem, Calendis Auguſti, annò
Bonif. IX. octauo. Tertius fuit Bonifacius Nonus, ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Calendis Februarij, Pontificatus ipſius anno Decimo: aſſerens in ſuis litteris, prædictum Zacharię Diploma fuiſſe

prius

prius confirmatum à prędictis Gregorio Nono, & Vrbano Quinto. Hæc autem vniuerſa Diplomata auctentica vidi oculis meis, ac diligenter inſpexi, legi, & perlegi, in ſcrinioque præfati Monaſterij Caſſinenſis, vbi ſimul cum alijs ſcripturis diligentiſſime, vt par eſt, aſſeruantur, repoſui.

C A P. X.

ADVERSVS hanc Zachariæ Bullam inſurgit Antonius Gallonius, in Apologetico aduerſus Conſtātinum Bellotum Monachum Congregationis Caſſinenſis, excuſſo Romæ anno milleſimo ſexcenteſimo quarto: totoque anniſu, & conatu veritatem eius infringere nititur, ad quod efficiendum ſex admouet argumenta, quaſi ſex ęnea tormenta, ſed quæ globos emittant bombycinos. Miraberis profecto lector, cùm nullo negotio ea videris diſſipata: ridebis autem, cùm ſuper- Gallonius pag.54.55. &c.

nihilum

nihilum,& inane innixam aeream molem, videris penitus euaneſcere.

Pr.Argu. Primum argumentum eius eſt. Leo Oſtienſis lib. 1. Chron. Caſſinenſis cap. 4. mentionem faciens huius Zacharię priuilegij, non meminit multorum, quę in ipſo continentur, ergò priuilegium hoc falſum eſt, atque fictitium. Argumentum eſt ab authoritate negatiuè. Non dixit, ergò non fuit. Quid ſi de illo penitus tacuiſſet? Propterea falſum eſſet priuilegium? Friuola profectò, vana, & futilis argumen tandi ratio. Si ita argumentari licet, dicam ego. Sacri Euangeliſtę, qui rerum à Chriſto geſtarum hiſtoriam texuerunt, non dixerunt, illum poſt Reſurrectionem ſuam apparuiſſe Iacobo minori; ergò non illi apparuit: nego conſequentiam,
1.Cor.15. quia id Paulus ſcripſit 1. Corint. 15. Similiter nullus eorum retulit, Chriſtum dixiſſe: Beatius eſt dare, quam accipere. At
Acto.20. retulit Paulus Acto. 20. Nunquid Leo Oſtienſis priuilegia, & Pontificia Diplomata tranſcribebat in illo libro, vt omnia in eis contenta ſcribere debuerit? Sed vt

ſemel

ſemel pro ſemper huiuſmodi ratiocinandi modus explodatur, audi Cardinalem tuũ Illuſtriſſimum Baronium, cuius defenſionem, ſiue patrocinium aſſeris te in libro illo ſuſcepiſſe, ac vel ex ipſo diſce, quàm ſit nullius roboris, & momenti, iſtiuſmodi argumentandi ratio. Tomo primo Annalium ad annum Chriſti quadrageſimum ſeptimum, agens de D. Theclæ actis, quæ B. Hieron. inter apocrypha annumerat, adducit eundem Hieron. in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ca. 7. in Luca, ita acta illa improbantem. *Igitur periodos Pauli, & Theclæ, & totam baptiZati Leonis fabulam inter apocbryphas ſcripturas computamus. Quale eſt enim vt indiuiduus comes Apoſtoli, inter cæteras eius res, hoc ſolum ignorauerit?* Refellit Baronius, & optimè, hunc argumentandi modum, dicẽs. Multa, eademque perinſignia, eſſe à Luca prætermiſſa, quorum ipſe de ſe Paulus meminit: adeò vt inanis prorſus reddatur illa argumentatio, ſua natura alioquin inualida. Lucas non ſcripſit, igitur non ſunt facta. Ponit exemplum in peruulgata

Ad annum 47. pa. 347

ta

ta illa inter Petrum, & Paulum oborta Antiochiæ contentione: de qua idem Paulus Galat. 2. quam Lucas ſilentio prætermiſit, vt nec per nutum eius meminerit, vndè idem ipſe Hieronymus in cap. 2. ad Galat. de ea diſſerens, ſic ait. *Nec mirùm ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit: & non eſſe contrarium, ſi quod alius dignum putarit relatu, alius inter cætera dereliquit. Deniquè primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrũ fuiſſe accepimus, & Romam exindè translatum, quod Lucas penitus omiſit.* Hęc Hierony. apud Baronium, vbi ſuprà. Quotieſcumque ergò, ſiuè tu Galloni, ſiue alius quilibet, contrà nos hoc vſus fuerit argumentandi modo, ad eum refutandum ſatis erit reſpondere, Argumentum procedere ab authoritate negatiua, vt nullum eſſe conuincatur.

Hierony. Regula.

Sec. Argu. 2. Secundum Gallonianum argumentum eſt. Leo Oſtienſis lib. 2. Chron. Caſſinen. cap. 44. & 45. diſputat contra aſſerentes, corpora Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ

ſticæ translata fuiſſe è Caſſino in Gallias: & tamen non meminit huius Zachariæ priuilegij, in quo aſſeritur expreſsè, venerandailla Corpora in Monaſterio Caſſinenſi quiſcere, ergò falſum eſt priuilegiū. Petrus etiam Diaconus Caſſinenſis libr. 4. Chro. Caſſin. à cap. 110. ad 114. diſputans coram Lothario tertio Imperatore cum Gerardo S. R. E. Cardinali, de iuribus, & priuilegijs Caſſinenſium Monachorum, nullam de hoc priuilegio mentionem fecit, igitur eſt falſum. Mirum quantum iſti placeat argumētari ab authoritate negatiuè. Reſpondeo ergo vt ſuprà.

Reſpondeo ſecundò. Diploma iſtud non fuiſſe incognitum Leoni Oſtienſi, nec Petro Diacono: eius namq; meminit Leo lib. 1. Chro. Caſſin. cap. 4. Petrus vero in ſuo regiſtro fol. 2. num. 2. illud de verbo ad verbum, vt à nobis ſupra poſitum eſt, tranſcripſit. Cur autem neuter ipſorū eo vſus fuerit, in locis à te allegatis, fateor me ignorare: quamuis facile fieri potuerit, vt Leo non aduerterit, probari hoc priuilegio corpus Sancti Patris Benedicti, non fuiſſe

è Caſſino Monte translatum (nec enim quilibet omnia videt) proptereaque illud in ſuum fauorem non adduxiſse. Petrus autem (vt apparet ex tota illa diſputatione) videtur noluiſse agere priuilegijs, ſed rationibus tantum. Conſtat enim ex eiuſdem Petri regiſtro; Monaſterium Caſſinenſe, ante illud tempus, multa eaq; præclara à Summis Pontificibus & Imperatoribus accepiſse priuilegia; quorum nullũ in illa diſputatione, Petrus in patrociniũ ac defenſionẽ iurium Caſſinenſis Cœnobij, allegauit. Non ergo mirum, ſi nec iſtius Zachariæ priuilegij meminerit.

CAP. XI.

IAM tertium Argumentum inſpiciamus, antè quod Galloniusiſta prę fatur. *At quæ ſint illa, quæ id ipſum priuilegium manifeſtæ redarguant falſitatis, & impoſturæ certæ conuincant, ſic accipe:* Vidiſti Galloni, duo

ſuperiora argumenta nihil omninò efficere ad labefactandam huius priuilegij fidem, & authoritatem, quocirca tertium excogitaſti, quo, tuo iudicio, idem manifeſtæ falſitatis, ac certæ impoſturæ conuinceres, quod an præſtiteris, aliorũ eſto iudicium. Arguis itaque tertio loco ſic. *Extant eiuſdem Zachariæ Papæ complura ſcriptorum monumenta, imò & eiuſdem generis priuilegium ab eo conceſſum nobiliſſimo Fuldenſi Monaſterio tunc erecto: In quorum omnium fine ad ſignificandum tempus, quo ipſa data noſcantur, præter indictionẽ, poni ſemper conſueuit certus annus tunc Regnantis Imperatoris: ſicut inter alia expreſſum habes in priuilegio conceſſo Fuldenſi Monaſterio in cuius fine leguntur iſta, Datum pridie Nonas Nouembris, Imperante Domino Auguſto Conſtantino, anno trigeſimo ſecundo Imperij eius. Indictione quinta. Sic ibi, ſicut & in cæteris eiuſdem Pontificis Diplomatibus, aliјſque publicis monimentis, recitatis in Annal tom. 9. ab anno 741. vſque ad annum 751. per ſingulos annos, quibus ipſe vixit. At cùm hæc nota deſideretur in iſto Di-* Ter. Argu.

plomate commentitio Zachariæ vbi nulla prorſus mentio Imperatoris, quis non intelligat impoſturam? Præter diuerſam in nomine Notarij, & muneris eius nomenclaturam, quæ diuerſa ponitur in vtriſque. Sic ibi. Semper ſub eadem pelle manes: ſemper eidem luto inhæres: magna promittis, ſed nec modica præſtas. Attende lector, & vnà mecum huius argumenti vim, & energiam conſidera. Duplici medio procedit in hoc argumento Gallonius: vndè, & in duo capita eſt diuidendum, vt vis, & robur eius melius perpendatur. Procedit primo ex defectu nominis, & anni Imperatoris tunc regnantis; ſecundò ex diuerſa Notarij nomenclatura, & munere. Ex primò cap. arguit ſic. In omnibus alijs Zachariæ ſcriptis, præter Indictionem ſemper ponitur nomen, & annus Imperatoris tunc regnantis: in hoc autem priuilegio Caſſinenſi non ponitur, ergò eſt fictitium. Maiorem probat, quia ſic habet priuilegium Monaſterio Fuldenſi conceſſum. Miror te non vidiſſe, aut ceteros non viſuros credidiſſe huius argumenti

defe-

defectum. In primis falſum omnino aſſeris, dùm dicis, in omnibus Zachariæ ſcriptis, præter indictionem, ſemper poni conſueuiſſe nomen, & annum Imperatoris tunc regnantis. Nam in eodem tom. 9. Annal. à te citato, plura inueniuntur huius Pontificis ſcripta abſque aliqua Imperatoris nota. Primum eſt vniuerſis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibuſque Deum timentibus per Gallias, & Francorum Prouincias conſtitutis. Alterum longiſſimum ad eoſdem ſcriptum, quod incipit pag. 161. & protenditur vſq; ad 166. Tertium ad Sanctum Bonifacium Germanorum Epiſcopum. Quartum denique ad complures Galliæ Epiſcopos in quadam Synodo congregandos. Vides lector quam falſus eſt Gallonius, & tamen non veretur, alijs impoſturę notam falsò imponere? Exemplum autem, quod in ſuum patrocinium adducit, de priuilegio Fuldenſi Cœnobio conceſſo, quid ad rem? Nunquid priuilegium iſtud eſt metrum, & menſura cæterorum priuilegiorum à

Tom. 9. pa. 149.

Pag. 161. Pag. 166. Pag. 192.

Za-

Zacharia conceſſorum: vt ſi quid in iſto ſit, quod in alijs non reperiatur, ſtatim falſitatis, & impoſturæ conuincantur? Apage. Quare ergò ex hoc Fuldenſi priuilegio, in quo annus habetur Imperatoris, infers, priuilegium Caſſinenſe commentitium eſſe, quia eandem notam non habet? Vndè hęc conſequentia deducitur? Ex loco à nullitate, vndè & ipſa nulla eſt. Secunda pars eiuſdem argumenti. Nomen, & munus Notarij huius priuilegij Caſſinenſis, diuerſum eſt à nomine, & munere alterius, qui Zachariæ Diplomata ſcripſit, & ſubſignauit, igitur Caſſinenſe priuilegium eſt falſum: nego conſequentiam. Numquid vnus fuit Zachariæ Notarius toto ſui Pontificatus tempore? Nũquid Pontifices vnico tantum vtuntur Notario ad res ſuas conſcribendas? Pag. 40. Tom. 11. Annal. ad annum Chriſti milleſimũ duodecimum reperies duo Benedicti Octaui Diplomata: Alterum ſcriptum per manũ Benedicti Notarij regionarij, & ſcriniarij S.R.E. Alterum ſcriptum per manũ Stephani Notarij regionarij S. R. E. Datum

verò

verò per manus Benedicti Epiſcopi Portuenſis,& Bibliothecarij Sanctæ Apoſtolicæ Sedis. En tibi ſub eodem Pontifice,& diuerſos Notarios, & Datarios. Quid ergò inde? Si quid contrà noſtrum priuilegium ex hac diuerſitate intendebas inferre: probandum tibi erat, toto Zachariæ tempore vnum tantum fuiſſe Notarium, eundemque à noſtro diuerſum: quod cùm non probaueris, nec probare poſſis, conuincitur argumentum tuum, eſſe nullius ſoliditatis, & momenti.

Arguit quarto ab errore indictionis,& anni Pontificatus appoſiti in hoc priuilegio: quę nullo modo cohærent inter ſe. Siquidem Indictio prima concurrit cum anno Zachariæ ſeptimo: annus autem primus cum decima Indictione. Cùm igitur in hoc priuilegio aſſeratur ſcriptum, & datum fuiſſe Indictione prima, & anno etiã primo Zachariæ, apertè colligitur ꝙ alterum illorum eſſe falſum. Dicendum enim erat ſic. Datum Indictione prima anno ſeptimo: vel ſic. Datum anno primo Indictione decima. Priuilegium itaque iſtud Quartum Argument.

fal-

falſum eſt. Ad hoc argumentum ingenuè fateor, irrepſiſſe errorem in hoc Diplomate in altero illorum numerorum: crediderim tamen, errorem iſtum, non Indictionis, ſed anni Pontificatus eſſe: ita vt Indictio prima ſit optimè poſita, corrigendus verò ſit annus Pontificatus, vt loco primi, legatur ſeptimus. Moueor ad ita credendum ex eo, quod in dicta bulla ter repetitur Indictio prima: ſemel in corpore ipſius circa finem, vbi dicit Pontifex. Quod à præſenti prima Indictione irreuocabiliter, & in perpetuum ſtabilimus retinendum. Iterum in ſubſcriptione Notarij: ac tandem tertiò in fine Datarũ: nec videtur veroſimile, toties erratum fuiſſe in Indictione: at verò annus Pontificatus ſemel poſitus eſt, & ſemel labi facillimum eſt. Adde quod Zacharias fuit creatus Papa qninta die Decembris, Diploma autem fuit ſcriptum de menſe Ianuario. Et quamuis ſtatim ad Montem Caſſinum venire potuerit; tamen non ſit probabile, potuiſſe tàm breui temporis interuallo ea facere, quę in Diplomate aſſeruntur. Inter alia namque dicit.

dicit. *Opus reſtaurationis Monaſterij Caſſinenſis à Gregorio tertio cœptum, adiuuante Domino, ad finem vſque perduximus.* Quid autem potuerit facere Zacharias in reſtauratione Caſſinenſis Cænobij, tam paucis diebus, non video. Dicendum ergò, Zachariam priuilegium illud Petronaci conceſſiſſe in exordio ſeptimi ſui Pontificatus anni. Eſt igitur error in anno Pontificatus Zachariæ, concedo, ergò falſum eſt Diploma, nego. Nec enim error iſte talis, ac tantus eſt, vt poſſit ex ſe vitiare ſcriptum Apoſtolicum.

CAP. XII.

PRO cuius intelligentia notandum, quod numeri, de quibus agitur, in ſcripturis, ſunt in duplici differentia. Quidam ſunt de ſubſtantia ipſius ſcripturæ, qui ſi varientur, aut immutentur, falſam reddunt totam ſcripturam huiuſmodi ſunt

De numeris qui ſapponũt Scripturis.

 cau-

cautiones, ſiuè negotiorum contractus, in quibus agitur de pecunia mutuata, de emptione, aut venditione, ſiue de alicuius debiti ſolutione. v. g. mutuatus eſt mihi Petrum centum aureos: ſi pro centum ſcripſeris quinquaginta, vel ducentos corruit vniuerſa ſcriptura: quia numerus ille centenarius erat de illius veritatis eſſentia, cùm circa illum ipſa tota verſaretur. Alij verò numeri apponuntur ſcripturis, non quidem tamquam partes illarum principales (quippè cùm ſcripta illa in illis præcipuè non fundentur) ſed velut quædam adminicula, & fulcra, quibus illarum ſcripturarum veritas fulcitur, & roboratur, & quaſi quædam ſigna, & notæ certitudinis earum: Huiuſmodi ſunt in publicis monimentis Indictio, annus Domini, menſis, & dies, nomen, & annus Pontificis, ſiuè Imperatoris: & in chronologia ætas, qua quiſquam vixit, vel obijt. Hi ergò ſunt eiuſmodi, vt ſi vnum, aut alterum deſit, ſiue alicuius vitio, aut oſcitantia, aliter appoſitum ſit, quàm oportet; arguendus quidem iure ſit auctor, ſiuè ſcriptor in cu-

riæ, ſiuè malitiæ, non tamen propterea ſcriptura eſt reijcienda. Exemplis rem illuſtremus. Magna eſt apud vniuerſos Catholicos, & meritò, ſeptuaginta interpretũ auctoritas & tamen in eorum trãſlatione Diuinarum Scripturarum, ſiue incuria, ſiue ignorantia vel vitio aliquo ſcriptorum aut librariorum, innumeri penè numeri mendoſi reperiuntur. Scrutare diligenter eorum Chronologiam ab origine mundi vſque ad diluuium, & probabis quæ dico. In prædicatione Ionæ ad Niniuitas, in omnibus quotquot reperiuntur ſeptuaginta Interpretum exemplaribus, pro quadraginta diebus, tres inuenies ſcriptos dies. Numquid propterea ſeptuaginta illorũ viorum translationem, qua vſus eſt Chriſtus Dominus, vſi Apoſtoli, vſa vniuerſa Eccleſia per multa ſecula, ſtatim reijcies, atque damnabis? Abſit. Quod ſi de humanis loquamur hiſtorijs, ſæpè, adeò temporum notæ, & aliarum rerum numeri deprauati inueniuntur; vt qui eos ad veram calculi rationem reuocare voluerit, is, non dico in ſcopu-

loſis locis, arduiſque verſetur: ſed in labe-rynthum inexplicabilium quæſtionum in-tret, neceſſe ſit, vndè exire non valeat, nec ſi Theſei quidem filum habeat. Exempla obuia ſnnt paſſim plurima apud eos, qui de Pontificum, Imperatorum, vel Regum geſtis hiſtorias conſcripſerunt. Variant enim ſæpius in numerandis annis Pontifi-catus, ſeu Imperij, in aſſignando creatio-nis, & obitus tempore: imò & in numero Pontificum, ſiuè Imperatorum eiuſdem nominis, vt qui apud iſtum eſt tertius, vel quartus, apud illum ſit quintus, vel ſextus. Quid ergò dicemus? Numquid quia in aſſignandis certis temporum notis errant ſcriptores, ideò ipſa rei geſtæ hiſtoria prorſus eliminanda erit? Minimè quidem. Alioquin vniuerſæ ferè hiſtoriæ eſſent improbandæ. Sed accedamus propius ad rem, de qua agimus, & inſpiciamus, num ex Indictionis, vel alterius ſimilis notæ temporis errore, Pontificalia, ſeu alia Eccleſiaſtica ſcripta, ſint tanquam falſa, & fictitia ſtatim reijcienda, & condemnan-da. Gallonius aſſerit, ego verò nego.

Probo

Probo ego meam ſententiam auctoritate Innocentij Tertij in ſacros Canones relata cap. licet ad regimen; cap. Quam graui. & cap. ex conſcientia. de crimine falſi, adiuncta Gloſa. In his locis Summus Pontifex, ad quem ſpectat iudicare de falſitate litterarum Apoſtolicarum; præſcribit notas, & ſigna, quibus hujuſmodi falſitas valeat deprehendi, hanc autem notam numeralem de Indictione, vel anno, cum non expræſſerit, excluſit, ergo nemo illam præfigere poteſt, niſi ſit eiuſdem auctoritatis, qualis non eſt Gallonius. Præſcribit Eccleſia Chriſtiano populo dies feriandos, & ieiunandos, ad cæteros non tenetur, quia cenſentur excluſi. Si enim voluiſſet alios, præter illos, coli, expreſſiſſet: ſimiliter dicendum in caſu noſtro, videlicet Papam excluſiſſe notam illam temporum à notis falſificantibus litteras Apoſtolicas; quando illam inter alias non expreſſit.

CAP.

CAP. XIII.

AGNOSCIT Cardinalis Baronius in Annalibus huius doctrinæ veritatem, eamque approbat, dùm multos Indictionum, & annorum errores in monimentis, & ſcriptis pontificalibus, & alijs Eccleſiaſticis notat, & corrigit, nec tamen illa propterea reijcit, aut tanquam falſa condemnat. Aſſerit Baronius apud Sanctum Gregorium, & Bedam in publicis monimentis deprauatum interdùm inueniri numerum Indictionum, & diſcrepare ab alijs annis aliter conſignatis: nec tamen illa ſcripta refutat, vel falſa eſſe aſſerit. Corrigit, ſeù corrigendum cenſet, Eræ numerum appoſitum in Concilio Toletano tertio, & alijs ſequentibus: nec propterea reijcit illa Concilia, nec poteſt. Multa corrigit in quodam priuilegio à S. Gregorio conceſſo Monaſterio Sancti Medardi,

Tom.8.pa. 161.c

Tom.8.pa. 27.d.

Tom.8.pa. 63.d.

quod

quod habetur in regiſtro ſuo libro 2. poſt epiſt. 28. & tamen illud recipit vt legitimum. Sed quid immoror in percenſendis correctionibus circa aliorum ſcripta, cùm in huius Zachariæ epiſtolis quædam ſimilia doceat eſſe corrigenda? In quadam epiſtola ſcripta S. Bonifacio Germanorum Epiſcopo, corrigit Indictionem, vt pro vndecima, quam habent litteræ Apoſtolicæ, poni debeat decima. Similiter corrigit alium quendam errorem circa numerum annorum in alia eiuſdem Zachariæ ad eundem Sanctum Bonifacium epiſtola: nec propterea eas reijcit epiſtolas, & meritò ſanè: nec enim ita facile reijcienda ſunt Apoſtolica ſcripta: Cur ergò hoc Zachariæ priuilegium non retinebitur? cur ſolùm falſitatis, & impoſtutæ arguitur? Fortè quia Caſſinenſibus conceſſum? Ita planè. Sed illud tres Summi Pontifices approbauerunt, confirmauerunt, atque omnimodam fidem ei adhibendam eſſe cenſuerunt. Quis ergo illud improbare audebit? Sed audi quid dicat Gallonius. Se non poſſe in animum inducere,

Tom. 9. pa. 139.

Tom. 9. pa 166. c.

Vide Tom. 9. pa. 825.

tres

tres illos Pontifices hoc ſpurium priuilegium confirmaſſe: ſed illud legitimum. Pag. 55. Quod ſi iſtud confirmauerunt, aſſerit, præter primam falſitatem, à neſcio quo impoſtore patratā, adijciendas eſſe alias ab eis, qui per ſurreptionem falſi Diplomatis, eas confirmationes ſurripuerunt. Bone Deus, & quale, vel vbi eſt illud legitimum Zachariæ priuilegium, Caſſinenſibus conceſſum? Produc illud in publicum, vt ita valeas hoc ſpurium comprobare: quod ſi nō potes, deſine iactare verba maledica, & paulò modeſtius age. Tres illi Summi Pontifices, hoc, quod tu vocas ſpurium: legitimum agnouerunt: Tu verò vniuerſa illegitima & ſpuria arbitraris: religioſiſſimos Caſſinenſes Monachos falſarios, & impoſtores non vereris appellare, cùm tamen adhuc nullam eorum falſitatem, aut impoſturam probare potueris. nec probabis vnquam ſunt enim valde abhorrentes, & alieni à fraudibus, & impoſturis, quas tu eis imponis. Sed dic mihi, ò Bone vir; credis ne reddendam eſſe Deo rationem in die Iudicij de omni verbo otioſo? Cre-

dis

dis vtiq; affirmante id ipſum Chriſto Domino. De verbis probroſis, contumelioſis, pungitiuis, & pernitioſis, nonne ſimiliter erit reddenda? Certè erit. Quam igitur rationem reddes tot verborum ad perpetuam Caſſinenſium infamiam, litteris à te conſignatorum? Deo autem gratias cuius prouidentia, & ordinatione effectum eſt, vt apud probos & pios viros, Caſſinenſes Monachi, quos tu ita acriter inſectaris, quique tot à te in ipſos iactatas iniurias, irriſiones, & ſannas æquo animo, ac patienter tolerant, humiles, modeſti, ac verè Religioſi ab omnibus cenſeantur. Conſilium ergò meum, ſeù potius tuum, datum pag. 34. tibi placeat, cariſsime in Chriſto frater, & pater, & deteſtare deteſtam plenam calumnijs, falſitatibus, atq; mendacijs apologiam tuam, labora, vt flammis vltricibus detur, quæ adeò tuam honeſtiſſimam Congregationem infamat. Pergamus ad alia. Pag. 34.

C A P. XIIII.

Quintum Argument.

QVINTVM Argumentum deſumit ex oblatione Giſulphi Principis Beneuentani, Caſſinenſi Monaſterio facta, quę in iſto Diplomate confirmatur, cùm tamen tunc temporis nondum eſſet Giſulphus Princeps, occupante Godeſcalcho Beneuentum: Erit ergò falſum priuilegium. Maiorem probat, ex eo quod extremo tempore Luitprandi, Giſulphus Beneuentanis præfectus eſt Dux; at verò Luitprandus tertio Pontificatus Zachariæ anno defunctus eſt, ergò primo eiuſdem anno Giſulphus nihil Monaſterio Caſſinenſi dare potuit, quod à Zacharia confirmaretur. Ad hoc dico primùm. Si iſtud Zachariæ Diploma fuit Caſſinenſibus conceſſum anno ſeptimo ipſius, vt ſuperius à me probatum eſt, Gallonij obiectio nulla eſt, cùm dubio procul tunc temporis Giſulphus fuerit Beneuenti Princeps.

ceps. Dico ſecundò. Etiamſi dicamus, datum fuiſſe anno primo iam tunc fuiſſe eundem Giſulphum, conſtitutum à Luitprando Longobardorum Rege Beneuentanum Ducem. Nec enim ſcriptores dicunt, ſtatim poſt inſtitutionem Giſulphi, obijſſe Luitprandum, ſed biennio, vel triennio poſt: quod ſi quis ſit, qui ſtatim aſſerat, illum fuiſſe vita functum: remitto te ad tuam de verbo ſtatim interpretationem, qua aſſeris, fieri interdum, vt iſtud ſtatim, plura annorum centenaria comprehendere poſſit. Quod ſi ita eſt, permitte, vt in noſtro Luitprando comprehendat duos, vel tres annos, quod in tam longo regnandi tempore parum profecto eſt. Certè ex allegato à te Leone Oſtienſ. lib. 1. Chron. cap. 5. conſtat, Zachariam, & Giſulphum eodem tempore Caſſinum adijſſe, & vtrumque ſua dona ſacro cænobio obtuliſſe.

Pag. 23.

Leo Oſtie

In ſexto argumento iterum redis ad vomitum, argumentando ab authoritate negatiua ſic. Monaſterium S. Ioannis in Venere, de quo in Diplomate fit mentio,

Quintum Argumen.

nondum erat erectum eo tempore. Siquidem S. Bertharius Caſſinenſis Abbas, qui longè poſt Zachariam fuit, matriculam, ſeu inuentarium bonorum, quæ Caſſinenſe Monaſterium poſſidebat in Comitatu Theatino, fecit, cuius meminit Leo Oſtienſis libr. 1. cap. 47. Ibi autem nulla prorſus fit mentio prædicti Monaſterij S. Ioannis in Venere, quod ſitum conſtat in Comitatu Theatino, ergo nondum erat hoc Monaſterium. Ex ſibilata fuit pridem hæc argumentandi ratio. Sed heus tu, qui Sancti Bertharij profers inuentarium, non legiſti in fine hæc verba. Et alia plurima, quæ hic ſcribere omiſimus. Inter hęc autem plurima, annumerandum eſt S. Ioannis in Venere Monaſterium. Imò in regiſtro Petri Diaconi, reperitur quoddam priuilegium Caſſinenſi Monaſterio à Carolo Magno conceſſum, in quo inter cętera bona huius cœnobij, Monaſterium Sancti Ioannis in Venere deſcribit: quod quidem priuilegium, ante Sancti Bertharij tempora fuit conceſſum. Ludouicus etiam huius Caroli filius eiuſdem Monaſterij meminit

Leo Oſtie.

minit:& ante eos DeſideriusLongobardorum Rex, idem Sãčti Ioannis Monaſteriũ, Cœnobio Caſſinenſi confirmat.

Vidiſti optime lector argumenta, quibus Gallonius conatus eſt veritatem huius priuilegij euertere: ſed contrà veritatem præſumpta diſputatio ſubſiſtere non potuit: Diploma verò Zachariæ, quia verum eſt, & à tribus Pontificibus, velit nolit, ritè, ac rectè confirmatum, ſtetit iam per nongentos ferè annos, ſtabitque, annuente Domino, vſque in finem. Quod ſi ſcire cupis, cur in hoc Zachariæ priuilegiũ, tam acriter, tàm ardenter, tantóque conatu inſurrexerit, & inuectus ſit, id paucis ex eodem accipe Gallonio. Vocauerat Conſtantinus Bellotus Beatum Benedictum Patrem omnium Monachorum, Pag. 5. cumque huiuſmodi elogium Zachariæ teſtimonio, ita eum appellantis in hoc Diplomate, confirmaſſet: id adeò ægre tulit vt non potuerit ſe continere, nec ſpiritum vteri ſui cohibere, quin in Conſtantinum prædictum, atq; in Diploma iſtud quemadmodum vidiſti ſit debacchatus. Con-

ſpexiſti

ſpexiſti autem quibus armis pugnauerit (ſex videlicet ſuprà commemoratis argumentis) & quam infœliciter ei pugna ſucceſſerit.

Aliud Arg. Reſtat aliud argumentum contra iſtud Zachariæ priuilegium, deductum ab ipſius longitudine (vt videas, quibus argumentis impugnant aliqui veritatem.) Dicunt itaque, priuilegium hoc longum eſt, & ideò videtur non eſſe Zachariæ, qui probatur fuiſſe breuitatis ſtudioſus, vt alia eius ſcripta teſtantur. Hoc argumentum confutatione non indiget, ſed irriſione: quæ eſt enim hæc conſequentia. Paulus Apoſtolus plures ſcripſit epiſtolas breues, ergò epiſtola ad Romanos, quia longior eſt, Pauli non erit? Similiter dicendum eſſet de Hieronymi, Auguſtini, Bernardi, & aliorum epiſtolis, & tractatibus. Pudet ſimilia commemorare argumenta. Longitudo, & breuitas ſcripturarũ non cubito metitur, aut palmo, ſed iuxtà ſubiectam materiam protenditur, vel contrahitur.
Pag. 161. Vndè & idem Zacharias, vt videre eſt in tom. Annal. 6. ad annum 744. longiſſimã

ſcrip-

ſcripſit epiſtolam ad Pipinum, & vniuerſos Galliarum Prælatos. Et ad annum 751. alteram ad Sanctum Bonifaciũ Germanorum Epiſcopum datam. quas ob longitudinem non refutat, neque in ſuſpitionem aliquam adducit Cardinalis Barouins, & meritò. Deſinant ergò traducere hoc priuilegium noſtrum, nec dicant, quia longum eſt, Zachariæ non eſt. Pag. 198.

C A P. XV.

VINDICATA iam ab omni ſuſpitione hac primi teſtis præclariſſima aſſertione, prodeat in medium ſecundus, non minoris auctoritatis, & ſinceritatis, quàm præcedens, teſtis. Hic autem eſt Alexander Secundus Pontifex Summus, qui anno Domini milleſimo ſeptuageſimo primo, ſequẽtes litteras in fauorem Caſſinenſis Monaſterij expediri iuſſit.

Ale-

Alexan. II. bulla.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, omnibus Eccleſiæ Catholicæ filijs ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Paſtoralis ſollicitudo noſtra, ſi debet proſpicere, & proficere omnibus, etiam extraneis, & longinquis, multò magis domeſticis, & propinquis: ipſis quippè ſecundò gradu poſt Deum admouenda eſt inuiſibilis charitas, vt per eos velut quædam viſibilis flamma, gradatim ad remotiores quoſque diſcurrat. Pijs ergò locis, & Diuina religione venerabilibus debitæ conſolationis, & defenſionis porrecturi manus, illum cæteris præferendum non ambigimus, quem Monaſticæ normæ conſtat eſſe principale Gymnaſium, & Sacłæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedi contiguum: quem ciues Romani, Patres videlicet eximij Benedictus, Maurus, Placidus cùm nonnullis alijs fundarunt, quem que à Gentibus deſtructum, Sanctiſſimi Prædeceſſores noſtri Gregorius, & Zacharias reſtruxerunt, & priuilegijs Apoſtolicæ Sedis meritò cæteris Cœnobijs prætulerunt: vtpotè qui non ſtudio hominum, ſed Diuino Imperio à Sanctiſſimo Patre Benedicto conſtructus eſt. Quorum nos ſacræ auctoritati, ſicut tempore, & loco

& loco ſuccedimus, ſic eorum exemplis, vt oportet, innitimur. Sed quia rerum geſtarum ſeries ad hoc litterarum fidei committuntur, nè illarum veritas poſterorum memoriæ ſubtrabatur, ea, quæ noſtris temporibus acta ſunt, pandere curamus. Nam cum dilectiſſimus filius noſter Deſiderius eandem renouaret Eccleſiam, & aditum Baſilicæ diſponeret adæquare, cum tres non integras vlnas fodiſſet, in dextro Altaris latere, laterem reperit, nomen eiuſdem confeſſoris continentem. Cùmque fragmenta Altaris remota fuiſſent, inuenit ſuper ſepulchra ſyndonem expanſam condidisſimam, quæ cum tangebatur, euaneſcebat. Hac viſione certisſimus redditus, reſerari Sanctiſs. Patris præcepit tumulum: quo facto Sanctiſſima Corpora intemerata, & indiminuta inueniens, nuntios noſtros aſciſcens, precioſiſſimaque Corpora eis oſtendens, tàm præſentes, quam futuros certiſſimos, & indubios de Sanctis Corporibus reddidit. (Inuentio Corporũ S. Benedicti, & S. Scholaſt.) *Igitur cùm ad eandem dedicandam deueniſſemus Eccleſiam, vnà cum decem Archiepiſcopis, & quadraginta quatuor Epiſcopis, Cleroque S. R. E. Idem filius noſter Deſiderius conqueſtus eſt,* (Eccleſiæ Caſſin. dedicatio.)

 eſſe

eſſe quoſdam nec Deum timentes, nec homines reuerentes, qui poſſeſſiones B. Benedicti per diuerſa loca Caſſinenſi Cœnobio auferentes, in ſuum retorquere dominium ſatagunt. Et cætera, quę ſequũtur: Supponitur his ſigillũ, nempè circulus quadrifidus, in formam Crucis, in his verbis: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius*: circumcirca eiuſmodi habens inſcriptionem †. *Exaltauit me Deus in virtute brachij ſui*: poſt ſigillum verò variæ ſubſcriptiones. *Datum in Caſtro Caſſino die Calendarum Octobrium per manus Petri S. R. E. Subdiaconi, atque vice Donni Annonis Colonienſis Archiepiſcopi Bibliothecarij. Anno decimo Pontificatus Domini Alexandri Papæ Secundi. Ab Incarnatione vero Domini milleſimo ſeptuageſimo primo, Indictione nona.*

CAP. XVI.

Deſiderius Caſſinenſ. Abbas.

DESIDERIVS iſte, de quo in hoc Diplomate fit mentio, fuit Monachus, & Abbas Caſſinenſis trigeſimus ſeptimus poſt B. Patrem Benedictum, electus

electus decimotertio Calendas Maij, anno milleſimoquinquageſimooctauo, ipſo Sancto Paſchæ die: anno ſequenti pridie nonas Martij Auximi in Piceno à Nicolao Papa Secundo Presbiter Cardinalis Tituli S. Cæciliæ creatus, ipſis Nonis Dominica proxima Abbas Caſſinenſis conſecratus eſt. Præfuit annis vigintinouem, menſibus quatuor, diebus viginti ſeptem. Demum mortuo Gregorio Papa Septimo, inuitus, ac renitens, nono Calendas Iunij, anno milleſimo octogeſimo ſexto, Pontifex maximus renuntiatus, ac Victor Tertius acclamatus, conſecrari minimè paſſus eſt vſque ad duodecimum Calendas Aprilis anni ſequentis. Sedit in Pontificatu à die creationis, annum vnum, menſes tres, dies quatuor. Obijt Caſſini cùm magna ſanctitatis opinione, decimo ſexto Calendas Octobris anno milleſimo octogeſimo ſeptimo: ac in Capitulo fratrum primo ſepultus, poſtmodum ad Capellam S. Bertharij Martyris translatus eſt. Vitam, & res eius præclarè geſtas proſequitur Leo Oſtien. libr. 3. Chron. Caſinenſis per

 totum.

totum. Vbi de renouatione Baſilicæ Caſſinenſis, atque inuentione Sacrorum Corporum, & alijs ad hoc propoſitum, agit. Et de hac inuentione loquitur Alexander in ſuo Diplomate. Dies autem huius dedicationis Eccleſiæ, eodem anniuerſario die, ſcilicet, Calendis Octobris, maxima cùm ſolemnitate, ac populorum frequentia, apud Caſsinum celebratur.

CAP. XVII.

CONTRA hoc Diploma inſurgit nouus Ariſtarch'. a Boſco in Apol. p. 387. & vt probet, commentitium eſſe, atq; fictitium, producit aliud eiuſdem Alexandri priuilegium pro veritate Corporis S. Benedicti apud Floriacum, vbi aſſerit, extare eius Bullam integram, nec vitiatam. Subditque. *Abſit à tam ſapiente, iuſtoque Pontifice huiuſmodi calumnia: deſinàtque, oro, Caſsinenſes Summis Pontificibus, quaſi ſibi parum conſtantibus, varij animi deformes impingere maculas.* Hæc ibi Boſcus: Pag. 241. qui in inuentario reſcriptorum, vt ipſe vocat,

cat, auctenticorum, quoddam refert huius Alexandri reſcriptum, Guillelmo Abbati Floriacenſi directum: in quo Pontifex videtur aſſerere, Corpus S. Patris Benedicti Floriaci quieſcere. Datum autem præfertur Lucæ, ſeptimo Idus Nouembris, per manus Petri S.R.E. Cardinalis, anno vndecimo Pontificatus Domini Alexandri Papæ, Indictione decima. Ex his duobus Diplomatibus prius datum eſt Caſſinenſibus, poſterius (anno ſcilicet eadem pſo) Floriacenſibus: quod autem horum ſit verum, atque legitimum, quodue fictitium, iudicare, atq; diſcernere, hoc opus, hic labor. Poſſum equidem ego retorquere argumentum à Boſco factum, & dicere. Ergo ne Alexander Secundus contra ſe Diploma Floriacenſibus dedit, cuius pro veritate Corporis S. Benedicti apud Caſſinum extat, & viſitur integra, nec vitiata Bulla; quam omnibus legendam ſuperius propoſuimus? Abſit à tam ſapiente, iuſtoque Pontifice huiuſmodi calumnia. Deſinantque, oro, Floriacenſes Summis Pontificibus, quaſi ſibi parum conſtantibus, va-

rij animi deformes impingere notas. Cùm igitur argumentum hoc vtriq; parti commune ſit, nec ſufficiat dicere, priuilegium veſtrum falſum eſt, noſtrum autem verũ: oportet, vt quilibet noſtrum, rationes, & cauſas ſuæ aſſertionis reddat, ne irrationabile appareat quod dicit. Oportet inquã, aliquod ſaltem falſitatis indicium aſsignare, quo veritas alterius horum Diplomatum, iure in dubium, & ſuſpitionem vocari poſsit: cùm propter noſtrum ſimplex affirmare, vel negare, nihil ſequatur in re. Tu nullam hucuſq; affers, ſed ſententiam aduerſus inauditos Caſsinenſes pro Floriacenſibus proferendo, aſſeris, Alexandri Bullam Floriacenſibus datam, eſſe integram, nec vitiatam: Ex quâ neceſſariò ſequitur, Caſsinenſium eſſe falſam, & commentitiam. Sed nonne tu aduocatus es alterius partis? Quomodo ergo arrogas tibi Iudicis munus? Contra omne ius, & fas profectò. Sed dicis vtiq; mihi. Et tu quid affers aduerſus Bullam Floriacẽſium à me adductam, quod illius integritati, ac veritati poſsit officere? Bene ais. Quando alijs

à te

à te adductis in fauorem Floriacenſium reſcriptis, & rationibus reſpondebo: tunc etiam, quæ circa hoc veſtrum Alexandri Secundi Diploma ſe offerunt animaduerſione, & cenſura digna, in medium proferam: vt ſimul de omnibus prudens lector iudicare poſſit: habeatque in vnum collecta, & tua obiecta, & mea reſponſa. Interim pergamus ad alia teſtimonia in fauorem Caſsinenſium producenda. Infra pag. 182. ca. 38.

C A P. XVIII.

PRODEAT tertio loco Vrbanus Papa Secundus, & ſuum de propoſita quæſtione teſtimonium dicat: cui tanquam Gallo, fidem fortè adhibebunt Galli omnes.

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei, omnibus Eccleſiæ Catholicæ filijs, Redemptoris noſtri ſanguine pretioſo redemptis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Scriptum eſt, ſine penitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Illud verò donum, quod omnipotens Deus Beatiſsimo Patri noſtro Benedicto, & per eum Vrbani Secundi Bulla.

ſuo

ſuo Caſsinenſi conceſsit Cœnobio, nulla poteſt ratione conuelli, nulla violentia permutari, quin ipſe omnium Monachorum Pater, & eius iam dictũ Caſsinenſe Monaſterium, caput omnium Monaſteriorum perpetuò habeatur, & meritò: nam ex eodem loco de Benedicti pectore Monaſtici ordinis venerãda religio, quaſi de paradiſi fonte manauit: quem etiam idem venerabilis Pater virtutibus, & ſua corporali requie memorabilem toti orbi effecit. Cuius dum ſacratiſsima limina, more prædeceſſorum noſtrorum, ipſo die vigiliarum eiuſdem Patris viſitaſſemus: conſuetudinario lateris dolore attacti, ad extrema deuenimus: cumq; iam ſalutis ſpes funditus nobis adimi videretur, ac de corporali eiuſdem Patris Benedicti in eodem loco præſentia, in noſtro animo dubietas verſaretur, nocte, qua eiuſdem Patris agebatur ſolemnitas, idem Sanctiſsimus Benedictus noſtræ exiguitati viſibiliter apparens dixit. Cur de noſtra corporali preſentia dubitas? quem dum quis eſſet, interrogaſſemus Sanctus Domini reſpondit. Ego ſum frater Benedictus huius Caſſinenſis Cœnobij cuſtos, & habitator in ſempiternum. Quia autem tu me

Vrbani II. viſio.

hic

hic dubitaſti quieſcere, id nè amplius dubites, meumq; hic quieſcere corpuſculũ credas, hoc tibi ſignum erit. Cùm primum ad nocturnale officium pulſatũ fuerit, vlterius dolore iſto non laborabis: & his dictis diſparuit. Aduenien- Miraculũ. *te autem hora, (iuxtà quod Sanctus Domini dixerat) ſanitati priſtinæ redditi, cùm Epiſcopis, & Cardinalibus, Deo, & Sanctiſſimo Confeſſori Benedicto grates permaximas referentes, eius feſtiuitatem digna cùm veneratione peregimus. Ob quam rem rogamus, & obſecramus in Domino Ieſu, qui pro noſtra ſalute incarnari, & mori dignatus eſt, & ex authoritate B. Petri Apoſtolorũ Principis, cuius vicè Romanæ Eccleſiæ præſidemus, & in virtute Spiritus ſancti expreſsè præcipimus, nè quis vlterius falſam Patris Benedicti translationem celebrare præſumat. Contradictoribus huius noſtri Apoſtolici conſtituti Diuinum iudicium intentantes, & anathematis vinculo innodantes. Et quia ex diſpenſatione ſacratiſſimæ Sedis Beati Petri Apoſtolorum Principis, cui, Deo authore, licèt indigni adminiſtramus, totius Dominici gregis curamgerere Paſtorali ſollicitudine compellimur, &c.*

Subſequitur ſigillum Domini Papæ, nempè circulus quadrifidus in modum Crucis, intus nomina Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & eiuſdē Papæ continens: circūcirca verò legitur. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Datum Capuæ die Calendarū Aprilium, per manum Ioānis Diaconi Cardinalis, Indictione quartadecima, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo. Pontificatus verò Domini Vrbani Papæ Secundi anno quarto.* Retroſcripta Bulla Vrbani, cum ipſius de verbo ad verbum inſertione, fuit cōfirmata per Clementem Quartum, Sub Datum Viterbij ſecundo nonas Februarij, Pontificatus ipſius anno tertio.

Clemens Quartum.

CAP. XIX.

Notamentum I.

CIrca hoc Apoſtolicū Vrbani Secūdi Diploma, quædam mihi occurrunt adnotatione digna. Primum eſt de cauſa, cur Pontifex dubitauerit de præſentia corporali B. Patris Benedicti in Caſsinenſi Eccleſia: Cùm enim ante paucos

cos annos, tempore videlicet Alexandri Secundi, & Deſiderij Abbatis Caſinenſis, qui poſteà fuit Victor tertius, & huius noſtri Vrbani in Summo Pontificatu immediatus prædeceſſor, inuēta fuerint in præfata Eccleſia corpora B. Patris Benedicti, ſororiſq; eius Scholaſticæ: de quorum inuentione certior redditus per ſuos Nuntios Alexander literas ſuper ea re dedit: non videtur relictus fuiſſe locus Vrbano ambigēdi amplius de hac veritate. Dicendum nihilominus, quod noſter Vrbanus vtpotè Gallus, nouerat apud ſuos, translationem S. Patris Benedicti tanq; certiſsimam prædicari: translationis eius feſtum ab illis coli, & quod plus eſt, certò credi, & affirmari, B. Benedicti Corpus Floriaci requieſcere: quæ opinio cùm altas in eius animo radices egiſſet, non ita facilè euelli poterat: Quo enim ſemel eſt imbuta recens, ſeruat odorem teſta diù: & quod prius apud ſuos imbiberat, manebat alta mente repoſtum. Cùm autem argumenta vtriuſq; partis hinc inde libraret, videretque, non poſſe vtramq; conſiſtere: flu-

ctuabat animo, & corde anxio veritatem ſcire cupiebat. Cuius votis affuit omnipotens Deus, & per ſeruum ſuum Benedictum veritatem ei reuelans, omnem ab eo dubietatis caliginem ademit: Sicq; factum eſt, vt qui prius fuerat dubius de corporali præſentia S. Patris Benedicti in Caſsinenſi Eccleſia, poſteà eſſet huius veritatis fideliſsimus aſſertor, & teſtis, quippè quam tanto viſu, tantoq; miraculo nouerat comprobatam. Simile quid Sancto Ioſeph Virginis Mariæ ſponſo, ac B. Apoſtolo Thomæ accidiſſe, ſacræ litteræ prodiderunt.

Notamentum 2. Secundo notandum. Quod quamuis S. Pater Benedictus, nullũ de ſua translatione Pontifici verbum fecerit: tamen, quia ea, quæ de huiuſmodi trãslatione circumferebantur, vidit pendentiſsimus Pontifex non poſſe vllo modo cum his, quæ à B. Patre ſibi dicta fuerant, conſiſtere, & cohærere: Ideò Decretũ illud aduerſus falſam promulgauit translationem, interdicens in virtute Sanctæ obedientiæ, atque ſub anathematis vinculo, nè quis in poſterum eam celebrare auderet. Dubitauerat

rat enim Vrbnus de corporali præſentia S. Patris Benedicti apud Caſsinum, de qua intelligere omninò oportebat illa eiuſdem S. Patris verba. Ego ſum Frater Benedictus huius Caſsinenſis Cœnobij cuſtos, & habitator in ſempiternum: nec aliam idoneam patiuntur hæc verba interpretationem, cum non de ſpirituali, ſed de corporali eius præſentia dubitatum à Pontifice fuerit. Cuius dubitationi ſatisfacere volens B. Pater, illa intulit verba, quę ſi aliter intelligerentur, nihil ad rem facerent. Vndè videntur hæc verba æquipollere illis Zachariæ Papæ ſuprà in ſuo Diplomate relatis. *Qui primum, & Summum Moſticæ legis latorem, viuū & mortuum in perpettum retinere promeruit*. Et illis. *Vbi Monachorum vniuerſalis Magiſter, & Doctor Benédictus Pater almificus corporaliter vnà cùm ſorore ſua quieſcens, glorioſæ Reſurrectionis diem expectat*. Quæ omnia cum veritate tranſlationis eiuſdem ſtare nequeunt.

CAP. XX.

IMpugnatur autem iſtæ Vrbani Secundi Apoſtolicæ litteræ à Boſco noſtro in Pag. 386. Thom. 11. p. 605.3.

Apo-

Apologiſmo, cenſoria è brachio, vt ipſe ait, Polyhiſtoris Baronij vibrata virga. Impugnantur, inquã, ex eo, quod iuxtà Chronicon Caſſinenſe impreſſum, prędictę Vrbani litteræ datæ aſſeruntur anno Pontificatus ſui nono: quo tempore Vrbanus, nõ Capuæ (vbi datum dicitur Diploma) ſed in Gallijs in concilijs celebrandis immoratus fuit. En tibi candide lector; errorem vnum, & quidem magnum, vtinam ſolum, Caſsinenſis Chronici impreſſi; aduerſus quem optimè arguit Cardinalis Baronius. Verùm cùm ex ipſis litteris auctenticis conſtet, non nono, ſed quarto anno datas fuiſſe, nihil obſtat, quin Capuæ ſint datæ: & ſic euaneſcit hoc argumentum, atq; id genus alia, quæ aduerſus Chronica Caſſinenſia in Annalibus adducuntur. Ad illud autem de Indictione, & anno Domini, ſimiliter reſpondeo, niti eodem falſo fundamento Chronici Caſsinẽſis impreſsi, cũ in ipſis litteris habeatur Indictio decima quarta, & annus nonageſimus ſecundus. Sed dices, nec iſta cohærent inter ſe: nam anno milleſimo nonageſimo ſecundo, cur-

rebat

rebat non decimaquarta, ſed decimaquinta Indictio, eratque annus quintus, non quartus Vrbani Pontificatus. Ad hoc dico primò, minutiora eſſe hæc, quàm quę in conſiderationem venire debeant, ad labefactandam fidem litterarum Apoſtolicarum, quia vt iam ſuperius diximus, error circa numeros eſt facillimus, & maximè cùm pro quarto ponitur quintus, vel è cōtra: ambæ namque dictiones iſtæ ſunt valdè ſimilis inter ſe, & ijſdem ferè characteribus conſtant. Dico ſecundò, conſideratis alijs huius Pontificis priuilegijs, datis per manus eiuſdem Ioannis Cardinalis, qui etiam dedit hoc noſtrum, nullum eſſe errorem, vel omnia eodem morbo laborare. Cardinalis Baronius tom. 11. Annalium ad annum milleſimum nonageſimū ſextum: duo refert priuilegia huius Vrbani Eccleſiæ Turonenſi conceſſa. Primùm datum Turonis Caſtello S. Martini per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ſecundo Idus Martij, Indictione quarta, anno Dominicæ Inacarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus

Supra pa. 36.

Pag. 670. 671.

autem

autem Domini Vrbani Secundi Papę, nono. Alterum datum Pictauis per manus eiuſdem Ioannis, quarto Calendas Aprilis, Indictione quarta, anno Dominicę Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus autem Domini Vrbani Secundi Papę, nono. Iuxtà computationem annorum factam in his duobus priuilegijs procedit etiam computatio annorũ facta in hoc priuilegio Caſſinenſi. Nam ſi annus Domini milleſimus nonageſimus ſeptimus, erat Pontificatus Vrbani nonus: profectò annus Domini milleſimus nonageſimus ſecundus, erat eiuſdem Vrbani, quartus, vt patet. Quemadmodum ergò Cardinalis Baronius in illis duobus priuilegijs, corrigit annum Domini, vt pro nonageſimo ſeptimo, legatur nonageſimus ſextus: ita in noſtro pro nonageſimo ſecundo, ponatur nonageſimus primus, & ſic vniuerſá cohęrebunt. Nulla enim eſt ratio, cur iſtud reijci debeat, illa verò rata haberi, cum idem ſit defectus in omnibus, & non ſit ex illis, qui Apoſtolicas litteras vitiant.

Ad

Ad illud, quod obijciunt de venerabili Petro Mauritio Cluniacenſis Monaſterij Abbate, qui poſt præfatam Vrbani Secundi Bullam, hymnum de tranſlatione S. Patris Benedicti con poſuiſſe dicitur, infrà libr. 2. cap. 9. plenius ſatisfaciam; pro nunc dico, hymnum illum (cuiuſcumque ſit) non eſſe contrà prædictum Vrbani Secundi præceptum, quo cauetur tantum celebrari feſtum tranſlationis S. Benedicti, non autem prohibetur, ne quis aliquid de illa ſcribat. Quod ſi dixero, Petrum Mauritium Bullam Vrbani Secundi ignoraſſe, nullum committam ſacrilegium, nec enim neceſſariò affirmare debemus, venerabilem Abbatem iſtum omnia Pontificum Diplomata præ manibus, & in numerato habuiſſe. Stat ergò firmum, & inconcuſſum Caſſineſe palladium (ſic enim vocat hanc Vrbani Secundi Bullam Ioannes à Boſco in Apologiſmo pag. 386.) nec tàm facilè, vt ipſe arbitratur, deijci poterit. Boſc. p. 387 Pag. 386.

CAP.

CAP. XXI.

QVæ hactenus prolata ſunt trium Summorum Pontificum teſtimonia, aſſerentium, corpus S. Patris Benedicti, atq; ſororis eius Scholaſticę Caſſini quieſcere, ſufficere deberent, cuilibet etiã moroſo, ad credendum firmiter hanc veritatem, nec amplius de ea dubitandũ, cum iuxta Diuinæ legis pręſcriptum, in ore duorum, vel trium teſtium debeat ſtare omne verbum. Verùm quia memini mé dixiſſe Põtifices Summos, vſque ad noſtra ferè tempora huic veritati fuiſſe aſtipulatos: proferam quam breuiſſimè aliorum teſtimonia, vt & me ipſum à data fide abſoluam, & liberem, ac lectori beneuolo ſatisfaciam. Primus poſt Vrbanum ſecundum ſe offert Gregorius Nonus: qui pręterquam quod Bullam Zachariæ Papę, in qua aſſeritur, S. Patris Benedicti Corpus Caſſini extare, ſuo Diplomate confirmauit: ſeorſum in alia quadam Bulla, data Laterani decimo quintò Calendas Aprilis,

Deut. 16. ver. 6.

Greg. IX.

Pon-

Pontificatus ſui anno quarto, ita loquitur. *Pro reuerentia Sanctisſimi Benedicti, cuius corporis precioſus Theſaurus quieſcit in Monaſterio Casſinenſi, exuberante ad illud noſtræ dilectionis affectu, nobiſque ad ipſum deuotionem habentibus ſpecialem, libenter idem Monaſterium Apoſtolicæ Sedis communimus præſidijs, &c.*

Sequitur Vrbanus Quartus Gallus, cuius teſtimonium iucundum erit audire, quamuis non Floriacenſibus, nec eorum Patrono Boſco; Is ergò ita ait. Vrbanus Quartus.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Bernardo Abbati Monaſterij Caſinenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Præ fulgore dignitatis immenſæ, qua Confeſſor almus gratia Benedictus, & nomine, Monaſterium Caſinenſe multipliciter illuſtrauit, locus ipſe, veluti dilectus à Domino, ſicut multa redditur veneratione colendus, ſic amplis meruit manuteneri fauoribus, & ſpetialiter Sedis Apoſtolicæ confoueri præſidio. Hic eſt enim verè locus inſignis, huius almi ſignis præfulgidis inſignitus, cuius ſidereus ordo per orbem patet diffuſus, præmi-

nentia claritatis irradians inibi fundamenta ſuſcepit. Et vt maioris præcellentiæ gloria locus ille fulgeret; poſt corruptibilis vitæ decurſum, idem Sanctus ſpiritualiter ad ſuperna vocatus, ibidem corporaliter in Domino requieſcit. Dignè igitur ad eundem locum aciem noſtræ conſiderationis extendimus, dignè doloris acerbitate torquemur, quod in illo alieni filij debacchantur damnabiliter, nec indignè agimus, quod circa ipſum paſtoralis officij debitum exequentes inſiſtimus: vt ab eo miſeria viduitatis excluſa, reparetur, vtilis ſponſi miniſterio, floridus ſtatus eius. Et quæ ſequūtur circa ordinationē ipſius Bernardi in Abbatem Caſſinēſem: quę omnia concludūtur, ſub *Datum apud Vrbem veterem, tertio Calēdas Aprilis, Pontificatus noſtri anno Secūdo.*

De veritate huius Diplomatis nullo modo eſt ambigendum, cum ſortitum fuerit ſuum effectum: vigore namque harum litterarum Apoſtolicarum creatus eſt Abbas Caſſinenſis Bernardus iſte, de quo in Diplomate fit mentio: qui fuit natione Gallus S.R.E. Cardinalis: Monachus primū, & Abbas Monaſterij S. Honorati Inſulæ

Li-

Lirinenſis in Gallia: fuit autem Abbas quinquageſimus nonus, creatus anno milleſimo ducenteſimo, ſexageſimo tertio: præfuit annis decem, & nouem; Obijt Caſſini, ibidemque ſepultus eſt, anno Domini milleſimo ducẽteſimo octogeſimo ſecũdo.

Huius ſucceſſor Clemens Quartus itidem Gallus (præter hoc quod ſupraſcriptam Vrbanni Secundi Bullam ſuo Diplomate confirmauit, vt dictum eſt ſuperius) in alijs ſuis peculiaribus litteris hanc eandem confirmat veritatem, in hæc verba: Clem. IV.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio G: Sancti Georgij ad velum aureum, Diacono Cardinali, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Pro reuerentia Confeſſoris Sanctiſsimi, gratia, & nomine Benedicti, cuius corpus glorioſum in Caſsinenſi Monaſterio eſt venerabiliter collocatum, &c. quę ſequntur in fauorem eiuſdem Monaſterij. Idem repetit præfatus Clemens in alia Bulla, data eodem die, loco, & anno, directa dilecto filio Caſtellano Roccæ noſtræ de Ceſis. Præcipit autem tàm Cardinali, quàm Caſtellano prædictis, vt omnem

nem fauorem, & auxilium pręſtent ſupranominato Bernardo Caſinenſi Abbati in recuperanda Eccleſia S. Eraſmi de Ceſis, quam quidam Philippus Monachus Caſſinenſis ſibi vſurpauerat, ac ſpiritu rebellionis aſſumpto, ab obedientia prædicti ſui Abbatis ſe ſubtraxerat.

Ioann. 22. Ioannes præterea vigeſimus ſecundus, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio, Eccleſiam Caſſinenſem in Cathedralem erexit, cuius Diploma auctenticum habetur ſub Datum Auenione ſexto nonas Maij, Pontificatus eiuſdem anno ſexto: in quo præter alia, ſic habet non multò poſt principiũ:

Ad ipſum quoq; Monaſterium quod Confeſſor almus, gratia Benedictus, & nomine multipliciter illuſtrauit, quod etiam Confeſſoris eiuſdem venerando vocabulo inſignitur, cuiuſque Sanctiſſimi Corporis ſacræ reliquiæ inibi venerabiliter requieſcunt, ſpetialiter gerentes deuotionis affectum: Decens, quinimmò neceſſarium forè cenſemus, vt dictum Monaſterium vbi Confeſſor præfatus claruit virtutibus, & miraculis coruſcauit, ac normam

Sanctæ Monaſticæ Religionis inſtituit, quæ propagata per orbem, innumeros, quaſi à mari vſque ad mare, iam protenſos produxit palmites, & per incrementa temporum dilatauit, prærogatiua ſublimetur honoris, & potioris dignitatis eminentia, ſub Epiſcopalis appellatione nominis decoretur, &c.

Pontifex iſte Gallus fuit, in Gallia ſedit, & in Gallia exiſtens, præſens Diploma expediuit: quod vſque hodie in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur in Regiſtro anni decimi prædicti Ioannis vigeſimi ſecundi, littera milleſima ſexcenteſima trigeſima ſexta: vbi poterit, qui volet, videre illud. Cuius quidem teſtimonium, nemo (ne Boſcus quidem) iure poterit alicuius ſuſpitionis arguere. Si enim loquamur de Diplomate ipſo, nullo modo eſt ambigendũ, verum eſſe, atque legitimum, cùm ſortitum fuerit ſuum effectum: & illius vigore Monaſterij Caſſinenſis Abbatialis dignitas in Epiſcopalem ſit euecta, & ſublimata: in eaque per annos quinquaginta duos, videlicet vſque ad annum milleſimum trecenteſimum ſexageſimumquintum

tum perdurauit: Quo tempore ab Vrbano Quinto, etiam Gallo, ablato, & extincto nomine Epiſcopi, Monaſterium Caſſinenſe ad priſtinum Cœnobialem ſtatum ſub Abbatis regimine fuit reductum: quod Vrbanus ſub tutela, & protectione Apoſtolicæ Sedis ſuſcipiens, aliquot annis gubernauit, atque terremotu collapſum, reſtaurare curauit, vt ſupra oſtenſum eſt. Si verò loquamur de perſona Ioannis Papæ, nulla probabili ratione quiſquam dicere poterit, voluiſſe aliquo priuato affectu, contrà veritatem rei, eripere Floriacenſibus Corpus Sanctiſſimi Patris Benedicti, & illud Caſſinenſibus aſſerere, cùm Gallus fuerit: Nec id ignoranter protuliſſe, cùm doctiſſimus fuerit, & gallicanarum rerum ſcientiſſimus: ſed veritatem ſimpliciter affirmaſſe, dicere oportet.

Iulius II. Deniqne Iulius Secundus in Bulla, qua Monaſterium Caſſinenſe Congregationi B. Iuſtinæ de Padua vniuit, & incorporauit: quamquè deinceps Congregationem Caſſinenſem nuncupari ſtatuit, de prędicto Monaſterio loquens ita dicit.

Cùm

Cùm tamen, Caput dicti ordinis exiſtat, & in eo corpus S. Benedicti, multa cùm veneratione conſeruetur, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quarto, decimo ſeptimo Calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

CAP. XXII.

VNiuerſa, quæ hactenus producta ſunt, Pontificum teſtimonia, extraxi ego ex ipſis Bullis Apoſtolicis auctenticis, conſeruatis apud prædictum Caſſinenſe Monaſterium quæ quidem ſatis, ſuperque ſufficiunt ad plenam, & indubitatam fidem faciendam vniuerſis, & ſingulis Eccleſiæ Catholicæ filijs de vera, & reali Corporum Sanctiſſimi Patris Benedicti, ſororiſque eius Scholaſticæ in Monaſterio Caſſinenſi exiſtentia. Verùm quia in Chronico Caſſinenſi habetur aliud quoddam Diploma Benedicti Papæ octaui, vbi hæc veritas confirmatur viſione, ac miraculo quodam in perſonā Hen-

Apologiſmo, cenſoria è brachio, vt ipſe ait, Polyhiſtoris Baronij vibrata virga. Impugnantur, inquā, ex eo, quod iuxtà Chronicon Caſſinenſe impreſſum, prędictę Vrbani litteræ datæ aſſeruntur anno Pontificatus ſui nono: quo tempore Vrbanus, nō Capuæ (vbi datum dicitur Diploma) ſed in Gallijs in concilijs celebrandis immoratus fuit. En tibi candide lector; errorem vnum, & quidem magnum, vtinam ſolum, Caſsinenſis Chronici impreſsi; aduerſus quem optimè arguit Cardinalis Baronius. Verùm cùm ex ipſis litteris auctenticis conſtet, non nono, ſed quarto anno datas fuiſſe, nihil obſtat, quin Capuæ ſint datæ: & ſic euaneſcit hoc argumentum, atq; id genus alia, quæ aduerſus Chronica Caſſinenſia in Annalibus adducuntur. Ad illud autem de Indictione, & anno Domini, ſimiliter reſpondeo, niti eodem falſo fundamento Chronici Caſsinēſis impreſsi, cū in ipſis litteris habeatur Indictio decima quarta, & annus nonageſimus ſecundus. Sed dices, nec iſta cohærent inter ſe: nam anno milleſimo nonageſimo ſecundo, cur-

rebat

rebat non decimaquarta, ſed decimaquinta Indictio, eratque annus quintus, non quartus Vrbani Pontificatus. Ad hoc dico primò, minutiora eſſe hæc, quàm quę in conſiderationem venire debeant, ad labefactandam fidem litterarum Apoſtolicarum, quia vt iam ſuperius diximus, error circa numeros eſt facillimus, & maximè cùm pro quarto ponitur quintus, vel è cõtra: ambæ namque dictiones iſtæ ſunt valdè ſimilis inter ſe, & iiſdem ferè characteribus conſtant. Dico ſecundò, conſideratis alijs huius Pontificis priuilegijs, datis per manus eiuſdem Ioannis Cardinalis, qui etiam dedit hoc noſtrum, nullum eſſe errorem, vel omnia eodem morbo laborare. Cardinalis Baronius tom. 11. Annalium ad annum milleſimum nonageſimũ ſextum: duo refert priuilegia huius Vrbani Eccleſiæ Turonenſi conceſſa. Primùm datum Turonis Caſtello S. Martini per manum Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, ſecundo Idus Martij, Indictione quarta, anno Dominicæ Inacarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus

Supra pa. 36.

Pag. 670. 671.

autem

autem Domini Vrbani Secundi Papę, nono. Alterum datum Pictauis per manus eiuſdem Ioannis, quarto Calendas Aprilis, Indictione quarta, anno Dominicę Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus autem Domini Vrbani Secundi Papę, nono. Iuxtà computationem annorum factam in his duobus priuilegijs procedit etiam computatio annorũ facta in hoc priuilegio Caſſinenſi. Nam ſi annus Domini milleſimus nonageſimus ſeptimus, erat Pontificatus Vrbani nonus; profectò annus Domini milleſimus nonageſimus ſecundus, erat eiuſdem Vrbani, quartus, vt patet. Quemadmodum ergò Cardinalis Baronius in illis duobus priuilegijs, corrigit annum Domini, vt pro nonageſimo ſeptimo, legatur nonageſimus ſextus: ita in noſtro pro nonageſimo ſecundo, ponatur nonageſimus primus, & ſic vniuerſa cohęrebunt. Nulla enim eſt ratio, cur iſtud reijci debeat, illa verò rata haberi, cum idem ſit defectus in omnibus, & non ſit ex illis, qui Apoſtolicas litteras vitiant.

Ad

Ad illud, quod obijciunt de venerabili Petro Mauritio Cluniacenſis Monaſterij Abbate, qui poſt præfatam Vrbani Secundi Bullam, hymnum de tranſlatione S. Patris Benedicti con poſuiſſe dicitur, infrà libr. 2. cap. 9. plenius ſatisfaciam; pro nunc dico, hymnum illum (cuiuſcumque ſit) non eſſe contrà prædictum Vrbani Secundi præceptum, quo cauetur tantum celebrari feſtum tranſlationis S. Benedicti, non autem prohibetur, ne quis aliquid de illa ſcribat. Quod ſi dixero, Petrum Mauritium Bullam Vrbani Secundi ignoraſſe, nullum committam ſacrilegium, nec enim neceſſariò affirmare debemus, venerabilem Abbatem iſtum omnia Pontificum Diplomata præ manibus, & in numerato habuiſſe. Stat ergò firmum, & inconcuſſum Caſſineſe palladium (ſic enim vocat hanc Vrbani Secundi Bullam Ioannes à Boſco in Apologiſmo pag. 386.) nec tàm facilè, vt ipſe arbitratur, deijci poterit.

Boſc. p. 387

Pag. 386.

N CAP.

C A P. X X I.

QVæ hactenus prolata ſunt trium Summorum Pontificum teſtimonia, aſſerentium, corpus S. Patris Benedicti, atq; ſororis eius Scholaſticę Caſſini quieſcere, ſufficere deberent, cuilibet etiã moroſo, ad credendum firmiter hanc veritatem, nec amplius de ea dubitandũ, cum iuxta Diuinæ legis pręſcriptum, in ore duorum, vel trium teſtium debeat ſtare omne verbum. Verùm quia memini me dixiſſe Põtifices Summos, vſque ad noſtra ferè tempora huic veritati fuiſſe aſtipulatos: proferam quam breuiſſimè aliorum teſtimonia, vt & me ipſum à data fide abſoluam, & liberem, ac lectori beneuolo ſatisfaciam. Primus poſt Vrbanum ſecundum ſe offert Gregorius Nonus: qui pręterquam quod Ballam Zachariæ Papę, in qua aſſeritur, S. Patris Benedicti Corpus Caſſini extare, ſuo Diplomate confirmauit: ſeorſum in alia quadam Bulla, data Laterani decimo quinto Calendas Aprilis, Pon-

Deut. 16. ver. 6.

Greg. IX.

Pontificatus ſui anno quarto, ita loquitur, *Pro reuerentia Sanctiſsimi Benedicti, cuius corporis precioſus Theſaurus quieſcit in Monaſterio Caſinenſi, exuberante ad illud noſtræ dilectionis affectu, nobiſque ad ipſum deuotionem habentibus ſpecialem, libenter idem Monaſterium Apoſtolicæ Sedis communimus præſidijs, &c.*

Sequitur Vrbanus Quartus Gallus, cuius teſtimonium iucundum erit audire, quamuis non Floriacenſibus, nec eorum Patrono Boſco; Is ergò ita ait. Vrbanus Quartus.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Bernardo Abbati Monaſterij Caſinenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Præ fulgore dignitatis immenſæ, qua Confeſſor almus gratia Benedictus, & nomine, Monaſterium Caſinenſe multipliciter illuſtrauit, locus ipſe, veluti dilectus à Domino, ſicut multa redditur veneratione colendus, ſic amplis meruit manuteneri fauoribus, & ſpetialiter Sedis Apoſtolicæ confoueri præſidio. Hic eſt enim verè locus inſignis, huius almi ſignis præfulgidis inſignitus, cuius ſidereus ordo per orbem patet diffuſus, præmi-

nentia claritatis irradians inibi fundamenta ſuſcepit. Et vt maioris præcellentiæ gloria locus ille fulgeret, poſt corruptibilis vitæ decurſum, idem Sanctus ſpiritualiter ad ſuperna vocatus, ibidem corporaliter in Domino requieſcit. Dignè igitur ad eundem locum aciem noſtræ conſiderationis extendimus, dignè doloris acerbitate torquemur, quod in illo alieni filij debacchantur damnabiliter, nec indignè agimus, quod circa ipſum paſtoralis officij debitum exequentes inſiſtimus: vt ab eo miſeria viduitatis excluſa, reparetur, vtilis ſponſi miniſterio, floridus ſtatus eius. Et quæ ſequūtur circa ordinationē ipſius Bernardi in Abbatem Caſinēſem: quę omnia concludūtur, ſub *Datum apud Vrbem veterem, tertio Calēdas Aprilis, Pontificatus noſtri anno Secūdo.*

De veritate huius Diplomatis nullo modo eſt ambigendum, cum ſortitum fuerit ſuum effectum: vigore namque harum litterarum Apoſtolicarum creatus eſt Abbas Caſinenſis Bernardus iſte, de quo in Diplomate fit mentio: qui fuit natione Gallus S.R.E. Cardinalis: Monachus primū, & Abbas Monaſterij S. Honorati Inſulæ

Li-

Lirinenſis in Gallia : fuit autem Abbas quinquageſimus nonus, creatus anno milleſimo ducenteſimo, ſexageſimo tertio: præfuit annis decem, & nouem; Obijt Caſſini, ibidemque ſepultus eſt, anno Domini milleſimo ducēteſimo octogeſimo ſecūdo.

Huius ſucceſſor Clemens Quartus itidem Gallus (præter hoc quod ſupraſcriptam Vrbanni Secundi Bullam ſuo Diplomate confirmauit, vt dictum eſt ſuperius) in alijs ſuis peculiaribus litteris hanc eandem confirmat veritatem, in hæc verba: Clem. IV.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio G. Sancti Georgij ad velum aureum, Diacono Cardinali, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Pro reuerentia Confeſſoris Sanctisſimi, gratia, & nomine Benedicti, cuius corpus glorioſum in Caſsinenſi Monaſterio eſt venerabiliter collocatum, &c. quę ſequntur in fauorem eiuſdem Monaſterij. Idem repetit præfatus Clemens in alia Bulla, data eodem die, loco, & anno, directa dilecto filio Caſtellano Roccæ noſtræ de Ceſis. Præcipit autem tàm Cardinali, quàm Caſtellano prædictis, vt omnem

nem fauorem, & auxilium prę ſtent ſupranominato Bernardo Caſinenſi Abbati in recuperanda Eccleſia S. Eraſmi de Ceſis, quam quidam Philippus Monachus Caſſinenſis ſibi vſurpauerat, ac ſpiritu rebellionis aſſumpto, ab obedientia prædicti ſui Abbatis ſe ſubtraxerat.

Ioann. 22. Ioannes præterea vigeſimus ſecundus, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio, Eccleſiam Caſſinenſem in Cathedralem erexit, cuius Diploma auctenticum habetur ſub Datum Auenione ſexto nonas Maij, Pontificatus eiuſdem anno ſexto: in quo præter alia, ſic habet non multò poſt principiū:

Ad ipſum quoq; Monaſterium quod Confeſſor almus, gratia Benedictus, & nomine multipliciter illuſtrauit, quod etiam Confeſſoris eiuſdem venerando vocabulo inſignitur, cuiuſque Sanctisſimi Corporis ſacræ reliquiæ inibi venerabiliter requieſcunt, ſpetialiter gerentes deuotionis affectum: Decens, quinimmò neceſſarium forè cenſemus, vt dictum Monaſterium vbi Confeſſor præfatus claruit virtutibus, & miraculis coruſcauit, ac normam

Sanctæ

Sanctæ Monaſticæ Religionis inſtituit, quæ propagata per orbem, innumeros, quaſi à mari vſque ad mare, iam protenſos produxit palmites, & per incrementa temporum dilatauit, prærogatiua ſublimetur honoris, & potioris dignitatis eminentia, ſub Epiſcopalis appellatione nominis decoretur, &c.

Pontifex iſte Gallus fuit, in Gallia ſedit, & in Gallia exiſtens, præſens Diploma expediuit: quod vſque hodie in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur in Regiſtro anni decimi prædicti Ioannis vigeſimi ſecundi, littera milleſima ſexcenteſima trigeſima ſexta: vbi poterit, qui volet, videre illud. Cuius quidem teſtimonium, nemo (ne Boſcus quidem) iure poterit alicuius ſuſpitionis arguere. Si enim loquamur de Diplomate ipſo, nullo modo eſt ambigendũ, verum eſſe, atque legitimum, cùm ſortitum fuerit ſuum effectum: & illius vigore Monaſterij Caſsinenſis Abbatialis dignitas in Epiſcopalem ſit euecta, & ſublimata: in eaque per annos quinquaginta duos, videlicet vſque ad annum milleſimum treceteſimum ſexageſimumquin-

tum

tum perdurauit: Quo tempore ab Vrbano Quinto, etiam Gallo, ablato, & extincto nomine Epiſcopi, Monaſterium Caſſinenſe ad priſtinum Cœnobialem ſtatum ſub Abbatis regimine fuit reductum: quod Vrbanus ſub tutela, & protectione Apoſtolicæ Sedis ſuſcipiens, aliquot annis gubernauit, atque terremotu collapſum, reſtaurare curauit, vt ſupra oſtenſum eſt. Si verò loquamur de perſona Ioannis Papæ, nulla probabili ratione quiſquam dicere poterit, voluiſſe aliquo priuato affectu, contrà veritatem rei, eripere Floriacenſibus Corpus Sanctiſſimi Patris Benedicti, & illud Caſſinenſibus aſſerere, cùm Gallus fuerit: Nec id ignoranter protuliſſe, cùm doctiſſimus fuerit, & gallicanarum rerum ſcientiſſimus: ſed veritatem ſimpliciter affirmaſſe, dicere oportet.

Iulius II. Deniqne Iulius Secundus in Bulla, qua Monaſterium Caſſinenſe Congregationi B. Iuſtinæ de Padua vniuit, & incorporauit: quamquè deinceps Congregationem Caſſinenſem nuncupari ſtatuit, de prędicto Monaſterio loquens ita dicit.

Cùm

Cùm tamen, Caput dicti ordinis exiſtat, & in eo corpus S. Benedicti, multa cùm veneratione conſeruetur, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quarto, decimo ſeptimo Calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

CAP. XXII.

VNiuerſa, quæ hactenus producta ſunt, Pontificum teſtimonia, extraxi ego ex ipſis Bullis Apoſtolicis auctenticis, conſeruatis apud prædictum Casſinenſe Monaſterium quæ quidem ſatis, ſuperque ſufficiunt ad plenam, & indubitatam fidem faciendam vniuerſis, & ſingulis Eccleſiæ Catholicæ filijs de vera, & reali Corporum Sanctisſimi Patris Benedicti, ſororiſque eius Scholaſticæ in Monaſterio Casſinenſi exiſtentia. Verùm quia in Chronico Casſinenſi habetur aliud quoddam Diploma Benedicti Papæ octaui, vbi hæc veritas confirmatur viſione, ac miraculo quodam in perſonã Henrici

rici Secundi Imperatoris facto, quæ omnia ſugillantur à prædicto Boſco: vt agnoſcat quàm perperam, ac ſine fundamento iſta contemnat, & exſibilet, viſum eſt mihi aliquid de illo Diplomate, ac de his, quæ in illo narrantur hoc in loco adnotare: poſteàque ſubnectere viſionem Adami Monachi, vnà cum miraculo ab ipſo narrato, ac teſtificato Leoni Monaſterij Sancti Pauli de Vrbe Abbati, in confirmationem eiuſdem veritatis.

Petr. Diac. Regiſtrum. Reperi in Archiuo Caſinenſi librum quendam peruetuſtum, characteribus Lōgobardis in membranis ſcriptum, à Petro Diacono ex mandato Senioreti Abbatis cōpilatum, habentem folia ducenta quinquaginta nouem. In quo dictus Petrus multa Diplomata Monaſterio Caſinenſi à Romanis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, alijſque Magnatibus conceſſa, vnà cùm oblationibus bonorum eidem Cœnobio à diuerſis perſonis factis, quæ tunc in prædicto Archiuo in auctentica forma reperiebantur, de verbo ad verbum tranſcripſit. fol. 12. In eo ergò lib. fol. 12.

inue-

inuenitur præfati Benedicti Diploma, quod hic inſerere placuit, tum ob iucundam, quam narrat hiſtoriam (quæ à Leone Oſtienſ. refertur lib. 2. Chron. Casſin. impreſſi, cap. 44. M.S. verò cap. 43.) tum etiam ne quid ad probationem propoſitæ veritatis conducens, à nobis omiſſum eſſe videretur. Tenor itaque litterarum Benedicti Pape octaui talis eſt.

Benedictus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Notum volumus eſſe omnibus fidelibus Chriſtianis, tàm Prælatis, quàm Subditis, quia Dominus Henricus Imperator ſpetialis noſter filius, perrexit ad Monaſterium Sancti Benedicti quod ſitum eſt in Monte, qui dicitur Caſtrum Casſini, vbi ſacratisſimum Corpus eiuſdem Sanctisſimi Benedicti humatum eſt. Et quamuis maximam circa eundem locum deuotionem gereret, & nuſquam terribilius, ac venerabilius oratorium ſe vidiſſe aſſereret: ſæpius tamen dubitationis ſcrupulo mouebatur, vtrum nàm B. Benedictus corporaliter in eodem Casſinenſi Cœnobio quieſceret. Præ dolore autem ilij, quo grauisſime idem Imperator cruciabatur, nec plenè dormienti, Benedict. VIII. Viſio, & miraculũ.

nec ex integro vigilanti, Sanctiſsimus Pater Benedictus eidem Imperatori apparens, vbi nàm pateretur inquirit: Cui languorem protinus confitenti, Sanctiſsimus Benedictus ait. Scio quoniã tu me hactenus hic dubitaſti quieſcere: ſed ne ſuper hoc amplius dubites, meumque in loco iſto vnà cùm ſorore mea certiſſimè quieſcere corpuſculum credas, hoc tibi ſignum erit. Cùm primùm hodie ſurrexeris, in egeſtione vrinæ tuæ, tres lapillos non paruos mingere habebis, & ex tunc dolore iſto amplius non laborabis. Et ſcias, quia ego ſum frater Benedictus, & his dictis diſparuit. Experrectus Imperator confeſtim ſurrexit, ac iuxtà viſionem, quam viderat, ſanitati priſtinæ redditus, Deo, & Patri Benedicto gratias maximas retulit. Manè autem facto, veniens in Conuentum Fratrum, Imperator ait. Quid nam Domini mei me conſulitis donare medico, qui me curauit? Cùmque reſponſum illi fuiſſet, vt quidquid ſibi dè Monaſtèrio placeret, tolleret, ac medico daret; non ita, inquit, oportet, Imperator: ſed quoniam Sanctisſimus Benedictus hac me euidenter nocte curauit, ratio eſt, & quidem iuſtisſima, vt de meamet camera illius

lius debeam remunerare medelam. Et hæc dicens cùm lachrimis gaudio mixtis, retulit omnibus, quæ vidiſſet, atque audiſſet: adijciens; Nunc planè pro certo cognoui, quoniam verè locus iſte Sanctus eſt, & nulli mortalium eſt vlteriùs ambigendum, quin hic Sanctiſſimus Benedictus Pater, pariter cùm Sancta Sorore ſua quieſcat. Ad fidem autem verborum ſuorum, tres illos lapillos, quos ſecundum tenorem viſionis antè paululum minxerat, palam omnibus oſtendebat: Imperator autem ſurgens, & ad Corpus B. Benedicti perueniens, obtulit B. Benedicto munera hæc, &c.

CAP. XXIII.

ADdit Leo Oſtienſ. vbi ſuprà, Henricum Imperatorem altera die feciſſe donationem per ſcriptum Monaſterio Caſſinenſi de Arce, quæ Vandra vocatur: cuius donationis Diploma auctenticum, proprio Imperatoris ſigno, ac ſigillo munitum, conſeruatur in Archiuo Caſſinenſi: quod (quia ea, quæ dicta ſunt, multum corroborat) hic de verbo ad verbum inſerere volui.

In

Litteræ Henrici Imperat.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus. Quamuis communiter loca Deo vbique dicata, quotidie in melius proficere, noſtra opera adbibita, velimus: ſingulariter tamen, & quaſi ſpecialius cæteris, locum, in quo venerabilis Patris noſtri Sanctiſſimi Benedicti Corpus fouetur, pollere admodum cupimus: quippè quem à primo ætatis flore ſemper maximè dileximus, cuiuſque interceſſione pijſſima hactenus, & in regno roborati, & in infirmitate poſiti, ſæpius miſericorditer releuati ſumus. Ergò omnium Chriſti noſtrorumq; fidelium vniuerſitatem ſcire iubemus: qualiter nos pro remedio animæ noſtræ, Montem eiuſdem S. Benedicti viſitantes, penſabamus quali nobis munere Deum ibidem melius placare poſſemus: penſatione autem hac circumquaque diffuſa, de quodam Caſtello ſemper eidem loco contrario, de manibus inimicorum noſtrorum erepto, nobis autem in perpetuum Imperiali iure hæredituto, ab Archiepiſcopo Piligrino, nec non à familiari noſtro Theodorico, videlicet, Cancellario admoniti, eorum communi interuentu, idem Caſtellum,

Vandra

Vandra vocatum, ſitum in Principatu Capuano, ad Altare Sancti Benedicti, & ad vſus Monachorum, Deo ibidem famulantium, per hanc Imperialem paginam, cùm omnibus appendicijs, ideſt cùm areis, ædificijs, vineis, agris, pratis, paſcuis, ſyluis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, terris cultis, & incultis, ſeù cum omni vtilitate, quæ ſcribi, vel nominari posſit, concesſimus, tradidimus, & de noſtro Iure in eorũ Ius omninò in perpetuum transfudimus. Ea videlicet ratione, vt præſentialiter ordinatus Abbas, alijque eius ſucceſſores, ſicut de cæteris S. Benedicti bonis, de eodem Caſtello liberè habeant poteſtatem, quod Eccleſiæ vtile ſit faciendi. Et vt hæc auctoritatis pagina ſtabilis permaneat, eam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione iusſimus inſigniri. Signum Domini Henrici Romanorum inuictisſimi Imperatoris Augusti Locus ✠ ſigilli. Theodericus Cancellarius, vice Ebbonis Bambergenſis Epiſcopi, & Archicappellani, recognouit. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo vigeſimo ſecundo, Indictione quinta. Anno verò Domini Henrici Romanorum inuictisſimi Imperatoris

ris Auguſti Secundi, regnantis vigeſimo ſecundo, Imperantis autem nono. Actum in Montecaſino. fęliciter. Amen.

Litteræ iſtæ Henrici confirmatæ fuerunt ab Vrbano Quinto ſub Datum apud Montem Flaſconem Calendis Auguſti, Pontificatus ipſiús anno octauo.

Vraan. V.

C A P. XXIIII.

Henric. II. Imper.

PRo intelligentia eorum, quę in his duobus Diplomatibus Benedicti Papę Octaui, & Henrici Secundi Imperatoris dicuntur, ſciendum, hunc Imperatorem Henricum fuiſſe virum Sanctisſimum, atque in Sanctam Sedem Apoſtolicam propenſisſimum, peculiaremque ipſius Benedicti Octaui propugnatorem, ac defenſorem, à quo etiam coronam accepit Imperij: Ideoque meritò Pontifex in principio ſui Diplomatis ſpetialem filium ſuum illum appellat. Secundo notandum; Ex litteris Imperatoris apertè conſtare, ipſum Henricum ſemper ſpetialiter coluiſſe Sanctiſsimum Patrem Benedictum,

ac

ac tamquam tutelarem Patronum, & aduocatum illum habuiſſe: Montem Caſſinum ad viſitandum corpus S. Patris Benedicti perſonaliter adijſſe: nec non ab ipſo B. Patre in ſuis infirmitatibus, misericorditer ſubleuatum, non ſemel fuiſſe. Cur ergò Boſcus iſtud miraculum non credit? Boſc.p.388
Cur viſionem iſtam non admittit? Imò cur penitus, & omnino reijcit? Numquid abſurdi quippiam contra fidem, vel contra bonos mores continent? Audi eius rationem. Nec enim adeò celebres res ab alijs auctoribus ſilentio fuiſſent obuolutæ, quarum ne vnus omninò meminit. Fallitur profectò. Meminit ſi quidem huius hiſtoriæ Carolus Sigonius libr. 8. de Regno Sigon.pa. 313.
Italiæ ad annum 1023. In hæc verba. *Erat cum eo (Henrico Imperatore) Pontifex. His igitur actis, Caſſinum cum eo proceſſit, ac Monachos comitia creando Abbati habere iuſſit eis præſentibus. Conuocati Monachi in locum Athenulphi Theobaldum elegerunt, eumque poſtridie (qui dies erat S. Petro dicatus) Pontifex conſecrauit: Calculi indè dolore iactatus, ac præſenti beneficio, vt rebatur,*

 tur,

tur, S. Benedicti ſanatus, Monaſterium magnificè munerauit, atque idem quoque ipſius cauſa Piligrinus obiuit. Et quoniam vulgari fama deceptus, vere ne ibi S. Benedicti Corpus eſſet addubitans, ipſum ſibi Confeſſorem id affirmantem audire per noctem cubans, erat viſus, rem omnibus audientibus conteſtatus, eam etiam Diplomate, quod adhuc legitur, voluit à Pontifice diuulgari. Hæc Sigonius. Iam redeamus ad Boſcum. Quid ſi nullus, præter Leonem Oſtienſem huius rei meminiſſet? Propterea falſa eſſent omnia? Cur ita? Certè viſio, & miraculum iſtud ſcribendum potius fuit ab his, qui res geſtas Sancti Benedicti tractant, quam ab his, qui Henrici Imperatoris. Adde quod argumentum ab auctoritate negatiuè, ſupra docuimus nullius eſſe roboris, & momenti. Nec enim hiſtorici vniuerſa ſcribunt, ſed vnus hoc, alius verò illud: & quod iſte dignum putat relatu, ille inter cætera ſilentio ſupprimit: quæ ſi Boſcus conſideraſſet, non tàm facilè, quæ de Henrico Imperatore diximus, penitus reieciſſet.

Potuiſſem in fauorem Corporalis exi-

ſtentiæ

ſtentię S.Patris Benedicti apud Caſſinum, plurium adhuc Summorum Pontificum, idem aſſerentium in Diplomatibus, quæ Petrus Diaconus in præfato Regiſtro trã- ſcripſit, referre teſtimonia: verùm quia auctentica ipſa Diplomata non vidi (quam uis prædictum Regiſtrum apud me magnę ſit auctoritatis) nolui ea hic producere, ne anſam obtrectatoribus pręberem, iſta, ſicut & cætera Casſinenſia ſcripta, calum- niandi.

CAP. XXV.

ALtera viſio, & miraculum hic con- ſequenter ſubnectendum, eſt illa, quam Adam Religioſiſsimus Caſ- ſinenſis Monachus, Leoni Abbati Mona- ſterij S. Pauli de Vrbe retulit, qam narrat Leo Oſtienſ. libr. 3. Chronici Caſſinenſis impreſsi cap. 48. & in manu ſcripto habe- tur cap. 47. fol. 98. In hunc qui ſequitur, modum. Leo Oſt.

Quoniam autem de Corpore Sanctiſſimi Patris Benedicti paulo antè neceſſariò fecimus

mentionem, gratum hic commemorare videtur etiam illud, quod Adam religioſiſſimo viro Eccleſiæ ſuæ cuſtodi, idem Beatiſſimus Pater oſtendere dignatus eſt. Hic itaq; Adam, cùm quodam tempore Romam de more, ad emendaquæque huius Eccleſiæ vtilitatibus neceſſaria perrexiſſet, apud Monaſterium Beati Pauli, cui Dominus Leo tunc Abbas præerat, ſicuti & conſueuerat, hoſpitatus eſt. Cũ autem die quadam ijdem Reuerendiſſimi viri, Leo ſcilicet, atque Adam, ſpiritualia quædam ad inuicem verba confererent, cæpit Abbas ſciſcitari, vtrum vera, an falſa eſſent, quæ fama tunc per multorum ora voluebat; ſcilicet, quòd corpus B. Benedicti hic nequaquã quieſceret, ſed vltra montes furtim ſublatum, delatumque fuiſſet: addenſque, vt rei, inquit, fidem addant, qui iſta diſſeminant, ideò, aiũt, nullum apud vos ſignum, nullum miraculum fieri, illuc verò, vbi illum delatum aſtruunt, innumera per dies ſingulos, eius meritis dicunt ſigna patrari. Ad hæc Adam vehementer ſuſpirans, apprehenſa manu eiuſdem Abbatis, ad Altare illum B. Pauli Apoſtoli duxit, ibiq; ſolis aſtantibus, manum ſuam ſuper altare idẽ

Viſio Adamo Monacho facta.

Adam

Adam poſuit, dicens. Per Corpus hoc, inquit, Doctoris Gentium Beatiſsimi Pauli, quod hic abſquè vlla hæſitatione requieſcere Chriſtiana vniuerſitas credit, quoniam hoc, quod tibi modò dicturus ſum veraciſsimum, & ſine omni mendacio eſt. Enimuerò, & ego aliquando de Corpore B. Benedicti multotiens talia audiens, non modò in hæſitationem, ſed etiam in deſperationem, ac triſtitiam inductus adeò fueram, vt iam ferè nullam circa ipſius altare deuotionem, nullam poſſem dignam gerere reuerentiam. Taliter me per aliquantum temporis fluctuante, & triſti, ac trepido animo incedente, cùm die quadam poſt completorium deuotior ſolito apud eius ſepulchrum fuſa oratione cubitum me collocaſſem, idem Sanctiſſimus Pater mihi per viſionem apparere dignatus eſt dicens. Quære frater Adam demiſſus, ac triſtis incedis? Et quare de me tã male ſentire ſe duceris, quaſi ego hic corporaliter minimè iaceam? Verùm quoniam ſeruitium, & deuotio tua valdè ſunt placita coram me, amodò eſto certiſſimus, me hic pariter cùm Scholaſtica ſorore mea quieſcere, meque ſimul cum ipſa in die examinis vltimo, in hoc loco debere reſur-

gere

gere: *Vobiſcum etiam tam die, quàm nocte, quoties deuotè pſallitis, attentiuſque oratis, ac decenter proceditis; me pariter eſſe. Vt autem te ſuper his omnibus indubium reddam, cùm matutinali hora primus, vt es ſolitus, ingreſſus Eccleſiam fueris, ſi videris de ſepulchro meo quaſi virgulam fumi aromatis procedentem, altaque petentem, crede vniuerſa, quæ dixi, eſſe veriſsima: & hoc dicto diſparuit. Euigilans itaq; protinus, mecumq; myſterium tantæ viſionis pertractans, gaudio ſimul, lachrymiſque profuſus, cæpi benedicere Dominũ, Patremque Beatisſimum Benedictum. Mox que licet tremens, ac pauidus, Eccleſiam ingreſſus, conſpexi, & vidi, & credidi, iuxtà id, quod mihi indignisſimo fuerat relatum. Porrò quod dicunt, apud nos nullum ab eo miraculum oſtendi, omninò ſcias eſſe falſisſimum. Si enim cuncta poſſem tibi referre, vel quæ à Prioribus noſtris percepi, vel certè quæ noſtris temporibus ad eius tumulum ſigna patrata sũt, liquidò peruideres, hoc nonniſi aut de inuidia, aut potius de ignorantia dictum. Vnum tamen tibi de multis, non ab aliquo mihi relatũ,*

Miraculũ. *ſed oculis iſtis perſpectum, pro omnibus, mira-*

culum referam. Dæmoniacus quidam, Andræas nomine de Barenſi Ciuitate die quodam ad Monaſterium venit, atque vt eſt conſuetudinis, à propinquis, qui eum adduxerant, antè altare eiuſdem Patris locatus eſt. Cumq; fratribus in Choro pſallentibus, ineptas quaſdam, & horrendas nequam illè ſpiritus per os miſeri illius vociferationes mitteret, in parte mihi ſtanti, atque oranti, ſubitò Sanctiſſimus Pater Benedictus antè ipſum altare viſus eſt, qui alapa non modica maxillam vexati illius percutiens, malignum ab eo ſpiritum protinùs expulit: et ita ſanatus illè, cùm affinibus Deo, & Patri Benedicto gratias agens, ad propria receſſit. Hæc omnia prædictus Adam Leoni Abbati ante ipſum Corpus Beati Apoſtoli Pauli magna quodammodo neceſſitate confeſſus, humilitatis gratia cæteris adeò dùm vixit occuluit, vt nemo fratrum huius loci de his aliquid noſſe potuerit, quouſque idem Abbas Leo, quibuſdam fratribus noſtris (de quibus ſupradictus Roffridus vnus fuit, à quo ego percepi) iam illo defuncto, retulerit. Sic Leo Oſtienſ. vbi ſuprà.

Venerandus, ac Religioſus Pater Iacobus

bus Breulius veteranus Monaſterij Sancti Germani Pratenſis apud Pariſios Cœnobita, in quadam epiſtola, directa fratri Ioanni à Boſco Cęleſtino, data vndecimo die Auguſti, milleſimo ſexcenteſimo quar-
Pag. 369. to (vt ipſe Boſcus aſſerit pag. 369.) Meminit huius hiſtoriæ, vt ſupra, relatæ, cui præfatus Boſcus ad marginem hanc notam apponit. *Hæc hiſtoria ex ſuo fundamento vacillat; nam tunc temporis Monaſterium S. Pauli, de quo in ea fit mentio, erat ſubiectum Abbati Cluniacenſi.* His verbis putat Boſcus, ſe fidem huius hiſtoriæ euacuaſſe: quaſi, Monaſterio S. Pauli, Abbati Cluniacenſi ſubiecto exiſtente, nequiuerit apud Caſſinum viſio, & miraculum iſtud accidere. Oro, ad veritatem, vel falſitatem huius viſionis, quid refert cuiuſnam fuerit tunc S. Pauli Monaſteriũ? Vnde igitur vacillat hæc hiſtoria ex ſuo fundamẽto? Optaſſem ſcire à Boſco iſto, quod nam intelligat eſſe fundamentum huius hiſtoriæ, ne lectorem cogeret diuinare. Crediderim ergò, ex eo, quod Monaſterium S. Pauli erat tunc Congregationis

Clu-

Cluniacenſis, Boſcum inferre voluiſſe, Adam Monachum Caſſinenſem, non potuiſſe apud Monaſterium S. Pauli hoſpitari, nec per conſequens, quæ hic aſſeruntur, Abbati Leoni narrare. Si Monachi Cluniacenſes adeò fuiſſent omnis charitatis, & hoſpitalitatis expertes, vt neminem apud ſe, præter ſuos Monachos, hoſpitari permiſiſſent, optima fuiſſet conſequentia. Sed abſit hæc calumnia à religioſiſsimis viris, & videat Boſcus qualiter iſta effutiuerit, eo vel maximè quod inter Caſſinenſes, & Cluniacenſes erat tunc tēporis maxima vnio, & amicitia in Chriſto, vt patet ex his, quæ refert Leo Oſtie. lib. 2. cap. 54. de aduentu S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis ad Caſſinenſe Monaſterium, & libr. 3. cap. 50. de aduentu S. Hugonis Abbatis itidem Cluniacenſis ad prędictum Caſſinenſe Cœnobium. Leo Oſtie.

C A P. X X V I.

POſt Pontifices, ordine congruo accedere poterit ad ſuum de hac re dicendum teſtimoniũ Oderiſius Car-

dinalis, & Abbas Caſſineſis: quem quidem (tamquam in hac parte ſuſpectum) minimè produxiſſem: niſi pars aduerſa eum prius ſuo calculo approbaſſet, atque omni exceptione maiorem acclamaſſet, dùm illum quater Sanctum vocat, atque hoc ipſum teſtimonium tamquam Diuinum, & ſacroſanctum, apud Floriacum inter Euangelia aſſeruari dixiſſet, Admitto ergò illius teſtimonium, veneror, deoſculor, & ambabus, vt aiunt manibus amplector: promittens gratum, firmum, ac ratum habere, quidquid circa hanc, de qua agimus, veritatem, fuerit teſtificatus. Deſcribam ergò hic huius tanti viri teſtimonium ex epiſtola quadam ſuo, & Caſſinenſium Monachorum nomine ad Abbatem, & Monachos Floriacenſes ſcriptam, vt eam refert Ioannes à Boſco in reſcriptorum autenticorum inuentario, pag. 255. Tenor verò eius talis eſt.

Epiſtola Oderiſij.

Pag. 255.

1. Iſte fuit S. Oderi I. qui viuebat 1104. & eſt Sanctus: fuitque Caſſi-

Oderiſius, 1. *Dei gratia, Cardinalis, & Abbas, cùm omnibus fratribus Caſſinenſis Congregationis, Sancto, & venerabili Abbati Guillelmo omnique ordini, vel Congregationi*

tioni Floriacenſis cęnobij, Beatam vitam, & Hieruſalem cæleſtem. ſinēſis Abbas.38.qui cum Sanctus eſſet, noluit Leonis more, confingere reſcripta Papalia.

Venient, ait Saluator, ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Neceſſe itaque, & dignum eſt, vt qui ad illam peruenire ſocietatem æternæ plenam charitatis, & inſatiabilis dulcedinis enituntur, in præſentis vitæ tranſitu, mutuæ dilectionis colligati vinculo teneantur. Si enim ex temporali cohabitatione magna quædam, & ſincera coaleſcit affectio, quanto magis, qui in æternum coheredes, & conciues futuri ſunt, eorum debet adhuc mortalium mentibus abundare dilectio? Deniquè cùm ſancta, & vniuerſalis Eccleſia pro ſola ſpe ſuæ fidei, tãta neceſſitate ad fraternam exercendam charitatem conſtringitur: neceſſe eſt, vt quorum non ſolùm fides, ſed & ordo, vitæq; profeſſio vna eſt, Monachorum charitas præcellere videatur. Quanto enim viciniores eſſe Diuinitati ordinis ſublimitate cernuntur, tantò magis etiam in ſe debent præferre puritatis, benignitatis, & ſimplicitatis exemplum. Quapropter Nos ex magna deuotione, & ſincera charitate decreuimus fami-

Matth.8.

liariter ſcribere Sanctitati veſtræ, 2. vt veſtrum, & noſtrum quaſi vnum ſit Monaſterium; & quodam ſpirituali, atque inuiolabili amore in perpetuum ſ{}deremur. Siquidem certa etiam, & digna ratio eſt, vt noſtræ, & veſtræ fraternitatis conuentus, alterutrum ſe ſe præ cæteris diligant: qui pari gaudio habere ſe 3. incomparabilem Theſaurum reliquiarũ Patris Benedicti exultant. Licet à nobis haberi multis 4. miraculis, & prodigijs, 5. ac reuelationibus, & quorundam etiam noſtrum oculis, ſit veritas comprobata. 6. Verùm ſiue illud habere vos quælibet occaſio fecerit: ſiue quid illius gratulanter ſperatis: ſingularis vtrique inuicem nobis, & præcipui debitores ſumus amoris. Igitur nos ſinceram vobis amicitiam, ſocietatemque promittimus, vt & vos etiam amici noſtri, & ſocij exiſtatis deuotiſſimè, & humiliter flagitantes expetimus. Ita vt ſi ab aliquo fratrũ noſtrorum ad veſtrum, aut veſtrorum aliquando ad noſtrum Monaſterium ventum iri euenerit, confidenter quaſi propriè ſuum adueniat: omnemque charitatẽ illic, & ſolatium neceſſitatis inueniat, atque honorificè, quamdiu voluerit, ibidem commorari*

2. Vnio inter Caſſin. & Floriacenſes.

3. Reliquiæ S. Benedicti.

4. Sæpè tã tum mira ſunt plura quæ putamus falſi miracula.

5. Reuelationibus falſis plerumque deludimur: Eccleſiæ Romanæ verò authoritas, vix, aut nunq; decipi nos ſinit.

6. Vide quomodo ſub dubietate, & quaſi fatẽdo, vir iſte ſapiens, & Sanctus loquitur.

rari habeatur licentia. Siquidem, & nomina omnium viuentium noſtrum ad præſens vobis ſcripta per Vualterium veſtræ Sanctæ Congregationis venerabilem fratrem, direximus: atque veſtra nobis inuicem dirigenda nomina, deſiderabiliter expectamus: vt noſtra inter veſtra, & veſtra inter noſtra nomina conſcribantur: quatenus & uiuentes, & defuncti, alternis interuentionibus, meritis, & orationibus protegamur. Hactenus Oderiſij Epiſtola, poſt quam ſubdit ſtatim Boſcus. *Originale iſtius ſocietatis erat olim in altero textuum Euangelij deauratorum, in Theſauro Floriacenſi.*

CAP. XXVII.

PRo intelligentia eorum, quæ Oderiſius refert in hac epiſtola, quædam prænotanda ſunt, ſine quorum notitia, & cognitione, non facilè poterit lector iudicium de hoc irrefragabili teſte proferre. Primum eſt qualitas, & conditio perſonæ teſtificantis, quæ ad probandum, vel improbandum illius teſtimonium multum refert.

Ode-

Odoriſius Abb.Caſſ. Oderiſius iſte noſter fuit Oderiſij Marſorum Comitis filius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis à Nicolao Secũdo creatus anno milleſimo quinquageſimo nono: poſteà verò electus Abbas Caſinenſis anno milleſimo octogeſimoſeptimo, cui Cœnobio præfuit annis decem, & octo: & Sanctis operibus plenus, obijt Caſſini quarto nonas Decembris, anno milleſimo centeſimo quinto. Notandum prætereà, Oderiſium hunc fuiſſe immediatum ſucceſſorem in Abbatia Caſinenſi illius laudatiſſimi Abbatis Deſiderij, cuius tempore inuenta fuere Caſſini Corpora Sanctiſſimi Patris Benedicti, Virginiſque, ac ſororis eius Scholaſticæ, & Eccleſia Caſſinenſis conſecrata ab Alexandro Secundo Papa: quibus omnibus interfuit Oderiſius, qui apud Caſſinum tunc temporis reſidebat. Notandum denique, quod quando Vrbanus Secundus Caſſinum venit, & à B. Benedicto ſibi per viſum apparente, mirabiliter fuit ſanitati reſtitutus, necnon de ipſius B. Patris, ſororiſque eius Scholaſticæ corporali ibidem exiſtentia certior redditus

tus (vt ſupra in Vrbani teſtimonio diximus) Oderiſius iſte erat Abbas Caſſinenſis, vt ex temporum ratione patet. Etenim oraculum, factum Vrbano fuit de menſe Martio, anno milleſimo nonageſimo ſecũdo, ſiue, vt quidam volunt, nonageſimo primo: Oderiſius verò fuit Caſsinenſis Abbas ab anno milleſimo octogeſimo ſeptimo, vſque ad annum milleſimum centeſimum quintum. Supr.c.18

Ex his primo elicitur, Oderisij perſonæ qualitas, & conditio: fuit namque genere nobilis, profeſsione Monachus, dignitate Cardinalis, & Abbas Caſsinenſis, ſapientia præclarus, ac vitæ ſanctitate cõſpicuus: vndè à teſtimonio dicendo nullo modo eſt repellendus, maximè cum pars aduerſa eum optimum teſtem iudicauerit, & meritò. Elicitur ſecundo, quæ potuerint eſſe miracula illa, & reuelationes, de quibus Oderiſius loquitur in hac epiſtola: fuerunt namque reuelationes, & miracula facta in perſonas Vrbani Secundi Papæ, & Henrici Secundi Imperatoris: necnon, & illa, quæ Adam religioſiſsimus Mona-

chus

chus, grauiſsima atteſtatione præmiſſa, retulit Leoni Abbati Monaſterij S. Pauli de Vrbe, quorum omnium ſupra mentionem fecimus: quæ quidem vniuerſa Oderiſij ſeculo contigerunt. Elicitur tertio; Quando Oderiſius prędictam epiſtolam Floriacenſibus ſcripſit, fuiſſe adhuc ſuperſtites quoſdam eorum, qui vnà ſecum inuentioni prædictorum Sanctorum Corporũ interfuerunt, illaque videre meruerunt: Vndè aſſeueranter dicit, exiſtentiam Corporis S. Patris Benedicti apud Caſsinum, eſſe veritatem quorundam noſtrum oculis comprobatam, hoc eſt, quoſdam ex nobis Sacrum Patris Benedicti Corpus hic intuitos fuiſſe, & ſic certum eſſe, illud à nobis (ſcilicet Caſsinensibus) haberi.

CAP. XXVIII.

EXaminemus modò, ac diligenter inquiramus, in quorum fauorem hic talis, ac tantus vir teſtimonium dicat. Boſcus arbitratur in fauorẽ Floriacenſium, ego verò Caſsinenſium. Certè quo

quo pluries lego, & perlego eius teſtimonium, eo minus inuenio, cur Boſcus hunc teſtem in ſuum adduxerit patrocinium, atque ex parte ſui ſtare crediderit. Quod enim illi fauere videtur, atque ideò ab ipſo diuerſa characterum forma ſcriptum, atque tertia nota marginali ſignatum eſt, illud vnum eſt, quod circa medium epiſtolæ his verbis ait. *Qui pari gaudio habere ſe incomparabilem theſaurum reliquiarum Patris Benedicti exultant*. Ita plenè: vtrique, Floriacenſes .ſ. & Caſsinenſes Theſaurum illum ſe habere exultant, vtrique credunt, vtrique aſſerunt, vtrique quibus poſſunt auctoritatibus, atque rationibus, alijſque medijs, apud ſe eſſe D. Benedicti reliquias omnibus perſuadere nitũtur: ſed numquid propter noſtrum affirmare, vel negare ita erit in re? Nunquid propterea vtrorumq; vera erit aſſertio? Credunt Floriacenſes, credunt Caſſinenſes: Aſſerunt Floriacenſes aſſerunt Caſsinenſes, exultant Floriacẽſes, exultant Caſſinenſes: Ita eſt, ſed illorum tantum vera eſt aſſertio, vera & exultatio, apud quos re vera almi Patris Bene-

dicti Corpus dignoſcitur requieſcere, alijs in nihilo lætantibus. Dico ergò cum Oderiſio, vtroſque exultare de tanti Patris reliquiarum theſauro: ſed cum eodem pariter affirmo, Caſſinenſes, non Floriacenſes, theſaurum hunc penes ſe habere; Vndè ſequitur, exultationem Floriacenſium vanam eſſe, & inanem, Caſinenſium verò veram, & ſolidã. Si Oderiſius nil amplius dixiſſet, quàm vtroſque pari gaudio exultare de incomparabili theſauro Reliquiarum Patris Benedicti apud ſe habito, dubiũ dediſſet teſtimonium, & quod in fauorem Floriacenſium poterat detorqueri: Cùm verò ſtatim ſubiunxit: *Licet à nobis* (Caſſinenſibus) *haberi multis miraculis, & prodigijs, ac reuelationibus, & quorundam noſtrum oculis ſit veritas comprobata*: nullum reliquit dubitandi locum, quin pro comperto habuerit, & indubitato, Corpus B. Benedicti apud Caſsinum quieſcere. Quid enim amplius pro Caſſinẽſibus dicere potuit, quàm multis miraculis, & prodigijs, ac reuelationibus, necnon & propria oculorum viſione comprobatam eſſe hanc veritatem de exiſtentia Corporis Sancti Be-

nedicti apud Caſſinum? Certè nec fortius, nec efficacius aliqua veritas apud homines probari poteſt, quàm miraculis, reuelationibus, proprioque intuitu, & inſpectione. Funiculus iſte triplex profecto eſt, nec facilè rumpi poteſt. Siquidē Oderiſius, quod vidit, quod audiuit, quod manus eius contrectauetunt de Beati Benedicti Corpore apud Caſsinum exiſtente, hoc ſimpliciter, & de plano teſtatus eſt in hac epiſtola, Floriacenſibus ſcripta. Nec poterit vnquam Boſcus, quantumcumque conetur, funiculum iſtū ſuis marginalibus annotatiunculis rumpere. Ait namque in quarta nota. *Sæpe tantùm mira ſunt plura, quæ putamus falsò miracula.* In quinta verò: *Reuelationibus falſis plerumque deludimur. Eccleſiæ Romanæ verò auctoritas vix, aut nunquam decipi nos ſinit.* Aſſignatur quidem à Doctoribus diſcrimen inter mira, & miracula: ſed ſiue mira ſint, ſiue miracula, quæ à Deo fiunt in confirmationem alicuius veritatis, certum eſt, non eſſe falſa, aut præſtigioſa, ſed vera, cum Deus alicuius falſitatis auctor eſſe nō poſſit, ſeu aſſertor. Eccl. 4.

 Quare

Quare gloſa iſta marginalis totũ textum deſtruit. Oderiſius enim miracula dicit, non mira: quem cum in prima nota ter Sanctum vocauerit, in ſexta verò ſapientem, & Sanctum, non loquitur conſequẽter, cum in tertia inſinuare intendit, Oderiſium falſò putaſſe miracula, quæ mira tantum fuerunt. Quod autem in quarta nota dicit, reuelationibus falſis plerumq; deludimur, verum profectò eſt, ſi de his loquamur hominibus, qui abſque delectu, quaſcumque reuelationes admittunt: ſi verò de viris Sanctis, & ſapientibus, qualem fuiſſe Oderiſium aſſerit, & quales Vrbanũ Secundum, Henricum Secundum, & Adá Monachum fuiſſe conſtat, ſit ſermo, nec facilè nec plerũq; permittit Deus, eos falſis deludi reuelationibus: ſed eorum mentes illuminat, vt valeant diſcernere ſpiritus, an ex Deo ſint. Adde quod Eccleſiæ Romanæ auctoritas, quę nec vix, nec vnquam decipi nos ſinit, pro Caſſinenſibus ſtare videtur; quandoquidem tot Pontificum atteſtationibus, Corpus S. Patris Benedicti Caſſini extare profitetur. Tu autẽ

amice

amice lector, hominis iſtius ingenium perpende. Quando Oderiſius pro ſe facere videtur, ſanctum illum, ac ſapientem vocat: quando verò contrarium aliquid aſſerit, illuſorem illum, ſiue illuſum, ac falſa miracula, & reuelationes obtrudentem, dicere non veretur. Ita ne pro tuo arbitratu Sanctos inſtituis, & deſtituis? Bone Deus, cur non ſtas dictis? Cur modò ais, modò negas? Quod ſemel placuit, poſtea diſplicere non poteſt. Placuit Sancti Oderiſij teſtimonium recipere, approbare, typis mandare, omnibus proponere: cur ſtatim vis illud reuocare? Nunquid fons de eodem foramine manat dulcem, & amaram aquam? Quomodo ergò tu eodem inſtanti, ex eodem ore benedictionem, & maledictionem in Oderiſium protuliſti? Si non videbatur tibi verum hoc tanti viri teſtimonium, non debebas illud proferre, nec inter Floriacenſes Euangeliſtas collocare. Tuo te gladio ingulaſti, tu contra te ſententiam dixiſti, quando Oderiſiũ in tuũ patrocinium adduxiſti. Contigit tibi, quod Gargano illi, de quo in hiſtoria Iacobi 3.

appa-

apparitionis S. Archangeli Michaelis fit mentio, qui cum ſagittam in taurũ quendam iaculatus eſſet, retorta ſagitta in ipſũ recidit ſagittarium, eumq; graui ictu percuſſit. Sed dic mihi, obſecro, ad tertiam probationem ab Oderiſio adductam, pro exiſtentia corporis S. Benedicti apud Caſſinum, cur nec verbum vllum reſpondiſti? Siquidem vir iſte Sanctus, & ſapiens, non ſolum multis miraculis, & reuelationibus hanc veritatem comprobatam eſſe aſſerit, verum etiam quorundam noſtrum viſione, & aſpectu. Quid ad hoc dicis? Taces, & tacendo conſentis, & conſentiendo affirmas. Miror, te non dixiſſe, & illum, & ſocios fuiſſe cæcos, vel aliquo ſpectro obiecto deluſos, vt vel ſic effugeres tanti viri teſtimonium contra te prolatum. Sicut enim dixiſti pag. 365. ad marginem, os integrum fœmoris Sancti Patris Benedicti, quod Monachi Conuentus S. Benedicti Valliſoletani Congregationis Hiſpaniarum, ſe habere gloriantur, non eſſe fęmur, ſed brachium: ita poteras de Oderiſio, & ſocijs dicere, illos non Corpus Sancti

Boſc. pag. 365.

Cti

cti Patris Benedicti,ſed aliud quippiam vidiſſe. Ad illud, quod ad marginem eiuſdem epiſtolæ num.6.ais. *Vide quomodo ſub dubietate, & quaſi fatendo vir iſte Sapiens, & Sanctus loquatur*. Reſpondeo,communem eſſe conſuetudinem inter eos,qui amicè, & comiter de re aliqua altercantur, & diſputant,cùm vident aduerſarios à cauſa cadere, verecundari, ac rubore ſuffundi, dulcibus eos,ac blandis verbis alloqui,erigere, & ſolari, ne penitùs confundantur, & omninò abſque ratione diſputationem iniјſſe videantur: eiſque aliquid indulgendo concedere; non quidem quod ita ſit; ſed quòd ita ad conſeruandam amicitiam, & bonum pacis conuenire videatur. Sic Oderiſius poſtquam efficaciter probauit, Corpus Beati Benedicti eſſe Caſsini, videns Floriacenſes debere inde turbari, atque confundi, qua erat ſapientia præditus, & charitate in eos propenſus,ne penitus pudore, aut dolore obruerentur, illos erigit, ac ſolatur,dicens. *Verum ſiue illud habere vos quælibet occaſio fecerit, ſiue quid illius gratulanter ſperatis, ſingularis vtrique* in-

inuicem nobis, & præcipui debitores ſumus amoris. Quibus verbis(ſi altius,& penitius conſiderentur) rurſus negat Oderiſius, Corpus S. Benedicti Floriaci exiſtere. Si enim apud Floriacum extabat,quid illius gratulãter expectare poterãt, qui totũ habebant?His ergò verbis denuò confirmat, Caſſini eſſe, vnde Floriacenſes aliquid illius gratulanter expectare poſſent.

CAP. XXXI.

SEd dicit Boſcus : ſaltem hinc probatur, reſcripta Apoſtolica, quæ in ſuum fauorem proferunt Caſſinates, conficta eſſe : quandoquidem Oderiſius eis non eſt vſus ad probandam exiſtentiam Corporis S. Benedicti apud Caſſinum. Si enim ad manum tunc illa habuiſſet, cùm eſſet longè expeditior via,nullo modo illa tacuiſſet. Reſpondeo. Conſequentiam iſtã non valere. Non produxit Pontificalia Diplomatà, ergò nõ extabãt. Nec enim ideò illa non protulit, quia ad manus non habuit,ſed quia rationabiliter ab illis producendis

cendis voluit abſtinere. Primo, quia miraculis, reuelationibus, ac propria inſpectione, abundè probabat veritatem intentam: qui autem miraculis, reuelationibus, & oculatis teſtibus non credit, nec Bullis, aut Diplomatibus vllis credet. Secundo, quia apud Chriſtianos, maximè religioſos, imò & apud quoſcumq; ethnicos maioris pōderis, & momenti ſunt, vel eſſe debent opera, quam verba: vndè Chriſtus doctrinam ſuam operibus mirabilibus cōfirmabat, dicens apud Ioan. Si mihi non creditis, operibus credite: Opera enim quę ego facio teſtimonium perhibent de me. Ioan.10. Denique quia Floriacenſibus ſcribebat, contrà quos directè militabat Vrbani Secundi, falſam translationem celebrare prohibentis, nuper fulminata ſententia: ideò vir pijsſimus noluit huiuſmodi litterarum Apoſtolicarum refricatione, eorum recentia exaſperare vulnera, nec ipſorum animos exulcerare, ne videretur dare afflictionem afflictis, & ſuper dolorem vulnerum eorum aliquid addere. Vſus eſt itaq; compendio Oderiſius noſter, & tacitis his, quę

S dolo-

dolorem poterant ingerere, vel renouare, tribus medijs minus ſuſpectis, ſimul autem efficaciſſimis, & quæ niſi à proteruis, & peruicacibus, inficiari non poſſent, veritatem, quam intendebat, aſtruxit. Maneat igitur ſtabilis, & firma concluſio. Iuxtà ſententiam Oderiſij (quem Floriacenſes, quaſi Euangeliſtam habent) cogimur verè, & ingenuè credere, Corpus S. Benedicti apud Caſſinum Italiæ quieſcere.

CAP. XXX.

HVic teſtium Eccleſiaſticorum multiplici, ac irrefragabili teſtimonio, cōcinit, & aſtipulatur multitudo Laicorum, Imperatorum, Regum, Principum, & aliorum Illuſtrium virorū: vt quaſi duobus brachijs hæc veritas hinc indè complexa, ac gemino gladio, Spirituali, videlicet, & corporali defenſa, nullum timeat inuaſorem, nullum vereatur amplius impugnatorem.

Carolus Magnus. Carolus Magnus Francorum, & Longobardorum Rex, ac Imperator ſemper

Augu-

Auguſtus, hanc veritatem aſſerit in duo-bus priuilegijs, Monaſterio Caſsinenſi cõ-ceſsis: Alterum datum Capuæ octauo Calendas Maias, Indictione vndecima, anno decimo, & quarto decimo Regni ſui. Alterum datum Papie decimo octauo Calendas Maias, anno trigeſimo Regni ſui.

Patrem ſuum Carolum ſequutus eſt Ludouicus Primus Imperator, in quodam priuilegio dato Aquiſgrani, quinto decimo Calendas Aprilis, anno vigeſimoquarto Imperij ſui, Indictione quarta. Ludou. I.

Hi duo Imperatores Galliæ Reges fuerunt, & nihilominus, Corpus B. Patris Benedicti, non Floriacenſibus Gallis, ſed Caſſinenſibus Italis aſſeruerunt. Cùm tamen regnauerint eodẽ ferè ſæculo, quo hęc trãſlatio facta aſſeritur. Germani etiam Imperatores huic aſſertioni ſubſcribunt. Otho Magnus huius nominis primus, in quodam priuilegio, Monaſterio Caſſinenſi conceſſo tempore Aligerni Abbatis, ſub Datum duodecimo Calendas Martij. Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſeptima, anno Otho Magnus.

Imperij Magni Othonis Imperatoris Au-
guſti tertio. Actum in Villa Paterno in
Otho II. Comitatu Pennenſi. Cui ſubſcribit Otho
Secundus, in Priuilegio eidem Monaſte-
rio conceſſo, octauo Idus Auguſti, anno
Dominicæ Incarnationis nongenteſimo
Otho III. primo, Indictione nona. Similiter Otho
Tertius in priuilegio dato Romæ, octauo
Calendas Iunij, anno Dominicæ Incarna-
tionis nongenteſimo, nonageſimo octauo
Indictione vndecima, anno tertij Othonis
regnantis decimo quinto, Imperij ſecun-
Henr. II. do. Adde his Sanctum Henricum Secun-
dum in priuilegio ſuperius ſcripto, atque
ab Vrbano quinto, vt vidimus, confirma-
Conr. II. to. Idem aſſerit Conradus Secūdus in ſuo
priuilegio, dato Beneuenti, nonis Iunij, an-
no Dominicæ Incarnationis milleſimo tri
geſimo octauo, anno Domini Conradi re-
gnantis, decimo quarto, Imperantis deci-
motertio, Indictione ſexta. Hos omnes ſe-
Lotharus Tertius. quutus eſt Lotharius tertius Imperator, in
quodam priuilegio, eidem Monaſterio cō-
ceſſo, ſub Datum apud Aquinum, anno
Dominicæ Incarnationis milleſimo cen-

teſimo

teſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione prima, anno Regni Domini Lotharij decimo tertio, Imperij verò ſexto.

Oblitus penè fueram Deſiderij Longobardorum Regis, qui antè hos omnes Imperatores priuilegiũ Monaſterio Caſſinenſi conceſſit, in quo hanc eandem veritatem affirmat: vndè & primo loco, ratione temporis habita, erat collocandus: verùm cùm Rex tantũ fuerit, optimè antè omnes Reges poſt Imperatores ponitur: Is ergò in prædicto priuilegio ſic habet.

Deſiderius Rex Longobardorum.

Deſiderius æterni Regis ſuffragante potentia, Longobardorum Rex. Regni noſtri ſtatum, & vitæ augmentum ad hoc proficere credimus, ſi Eccleſiarum Dei curam gerentes, continuis eas, ſuoſque ſeruitores ditemus beneficijs, atq; muneribus. Quo circa noſtrorum fidelium ſagacitas nouerit, qualiter ad petitionem, nos religioſo viro Theodemari Abbati, & Monaſterio Sancti Confeſſoris Chriſti Benedicti, quod eſt conſtructum in loco, qui dicitur Caſsinum Caſtrum, vbi ſanctiſsimũ Corpus eius humatum eſt, tale beneficium circa Monaſterium ipſum viſi fuimus conceſsiſſe,

vndè

vndè Monachi Deo ſeruientes, & pro nobis, & cũcto Populo Chriſtiano exorantes, viuere valeant. &c. In fine verò ita concludit. Vt autem hæc noſtra Regalis præceptio per futura tempora firmiorem obtineat vigorem, annulo noſtro ſubtus inſigniri præcipimus. Paulus Diaconus, & Notarius ex iuſſione Domini noſtri Deſiderij Sereniſſimi Regis, ſcripſi. Actũ Ciuitate Papia, Data vero anno Regni eiuſdem glorioſiſſimi Regis, quinto, menſe Decembrio, per Indictionem duodecimam. Deſiderius, gratia Dei, Longobardorum Rex.

Poſt hunc Longobardorum Regem, iure ponendi erant Principes Beneuentani, & Capuani, quippe qui Longobardi fuerint, & ipſi. Nec non Principes, ac Duces Northmannorum, alijque Comites, & Barones, qui in ſuis priuilegijs, & oblationibus, Monaſterio Caſſinenſi factis, aſſerunt, ſe illa bona offerre Sancto Patri Benedicto, cuius Corpus venerandum inibi humatum eſt, & requieſcit. Verùm quia ſunt ferè innumeri, eos conſultò prætermitto, ne tanta multitudine teſtium abſq; neceſſitate producta, lectori faſtidiũ ingerere videar. Re-

Reges etiam Neapolitani eidem veritati ſubſcribunt. Sic Ladislaus Rex in priuilegio, dato Sulmonæ, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimoquinto, die decimo menſis Iulij, tertiæ Indictionis, Regnorum eius anno nono. Similiter Ferdinandus Rex Catholicus, & Carolus eius ex filia nepos, qui poſtea fuit Imperator huius nominis quintus: quorum litteras placuit hic legendas proponere. Tum quia ſpero, id gratum fore non ſolum Hiſpanis, verũ etiam cuiq; beneuolo lectori; Tum verò vt omnibus euidenter pateat, & conſtet, veritatem hanc de reali exiſtentia Corporis S. Patris Benedicti in Eccleſia Caſſinenſi, non ſolùm apud Italos, Gallos, ac Germanos fuiſſe notam, atque teſtatã, verum etiam apud remotiores Hiſpanos creditam, & receptam: regeſque Hiſpaniæ peculiarem erga diuum Benedictum habuiſſe deuotionem, ac Monaſterio Caſſinenſi valde fuiſſe affectos atque beneuolos. Tenor itaque litterarum Ferdinandi Regis Catholici talis eſt.

Ladislaus Rex.

Ferdinannus Rex.

CAP.

CAP. XXXI.

Erat tunc Papa Leo X.

SAnctiſsimo, ac Beatiſs. Domino, Domino noſtro moderno Pontifici obedientiam, manuūq;, ac pedum oſcula beatorum: Caeſareæque Sereniſsimæ Maieſtati, Sereniſsimis, & Illuſtriſsimis quibuſuis Regibus, & Reginis, & ſignanter Sereniſsimis Reginis Neapolis matri, & filiæ, ſorori, & Nepti, & tamquam filijs noſtris charißimis, Regumq; primogenitis fratribus noſtris: totiq; collegio Reuerēdiſs. Dominorum Cardinalium, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Prælatis S. Romanæ Eccleſiæ: Ferdinandus, Dei gratia, Rex Aragonum, Siciliæ citrà, & vltrà farum, Hieruſalem, Nauarræ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, et Corſicæ Comes Barchinone, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Roſsilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oriſtanni, & Gotiani, ſalutem, & proſperos ad vota ſucceſſus: Illuſtribus quoque ſpectabilibus, magnificis, nobilibus, & egregijs viris quibuſcumque Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Communitatibus, ter-

terrarumque Dominis, & Dominabus, tam terrarum noſtrarum, quam exterarum: & cæteris vniuerſis, & ſingulis officialibus, & ſubditis noſtris: Reuerendo etiam Archiepiſcopo Tarentino in Regno noſtro Siciliæ citrà farum Cappellano Maiori, & qui in eodem officio pro tempore fuerit; illuſtri, ac dilecto denique noſtro Don Raimundo de Cardona Locumtenenti, & generali Capitaneo noſtri exercitus in Italia conſtituti, cæteriſque Ducibus, Capitaneis: & Subcapitaneis, Magnatibus, & omnibus, ac ſingulis alijs officialibus dicti noſtri exercitus, quocumque nomine, & officio nuncupatis, qui pro tempore fuerint: necnon noſtrum Loca tenentibus, & Regentibus, Conſiliarijs, & Iudicibus, ac omnibus alijs officialibus, & ſubditis noſtris in Regno noſtro Siciliæ citra farum, & vltra farum reſidentibus, tàm præſentibus, quam futuris: noſtriſq; demum Oratoribus in Romana Curia, & apud Cæſaream Maieſtatem, omnibuſque alijs in locis conſtitutis, & conſtituendis: ac etiam omnibus alijs quauis auctoritate, poteſtate, ac dignitate fungentibus, præſentibus, & futuris, ſalutem, & dilectionem. Cùm

T totus

totus quaſi Mundus inteſtinis bellis, ac ſi euiſceratus decideret, & decidat, ſuperni tamen Regis clementia, nos in noſtris Regnis præficiẽs, & ſpetialem de hoſtibus noſtris victoriam tribuens, deuictis, calcatiſque hoſtibus peculiari gaudio, proſperitateque eximia, Regna noſtra vbique exiſtentia exultant. Ergò quia miſericordem, omnipotentemque Deum nemo ſine pęna contemnit, ſummopere circa ſacrarum ædium ornatum, ſtabilimentumque nobis inuigilandum eſt, vt ab ipſo cęleſtium recipiamus præmia gaudiorum; Quapropter omniũ Chriſtianorum fidelium, præſentium ſcilicet, & futurorum nouerit ſolers induſtria, qualiter nos heſternis annis noſtras interpoſuimus partes apud Sanctiſsimum Dominum noſtrum tunc Iulium Papam: vt ſacrum Monaſterium Caſinenſe toto Mundo celeberrimum, Caput omnium Monaſteriorum, initiumq; totius Ordinis Sancti Benedicti, In Regno noſtro Siciliæ citra farum poſitum, vbi Corpora ipſius Sanctiſsimi Benedicti, ac ſororis eius S. Scholaſticæ Virginis, in vno, eodemque ſepulchro condita, humataque ſunt, & ſine dubio requieſcunt: ad priſtinam redigeretur obſeruãtiam,

tiam, prout redactum fuit: noſque præterea decreuerimus ob deuotionem præcipuam, quam habemus ſemper D. Benedicto, omnium Monachorum Patri, & inſtitutori, & dicti Sacri Monaſterij fundatori, totique Congregationi Monachorum ipſius, alias nominatæ Sanctæ Iuſtinæ de Padua, nunc Caſinenſis dictæ: & pro peccatorum noſtrorum remiſsione, continuis, opportunis, & debitis fauoribus proſequi: & vt ruinæ ipſius Sacri Monaſterij, & aliarum Eccleſiarum, ſeu membrorum ipſius reſtaurentur, prout melius fieri poterit: ac etiam vt debitus Dei cultus in Eccleſijs, & membris ad dictum Sacrum Monaſterium Caſinenſe ſpectantibus, per Monachos eiuſdem ordinis, & Congregationis, prout conuenit, exerceatur: ipſum propterea Sacrum Monaſterium totamque Congregationem ipſius, & omnia, & ſingula eius Monaſteria, membra, loca, & bona quæcunque ſub noſtra protectione ſuſcepimus, & ſuſcipimus. Cupientes igitur tàm ſanctam, piamqne Religionem conſeruare, protegere, & ab oppreſsionibus præſeruare, opportuniſque fauoribus proſequi: vos Patrem ſanctiſsimum, cui proprium eſt Ec-

cleſias, & religiones, religioſoſque tueri, & defendere, ſuppliciter ex animo deprecamur: Cæſaream que Maieſtatem protectricem vniuerſalis Eccleſiæ, Sereniſſimos quoque, & Illuſtriſſimos Reges, Reginaſque, & ſignanter Sereniſſimam Reginam Caſtellæ filiam, & primogenitam noſtram cariſſimam, poſtque fœlices, & longæuos dies noſtros, Deo propitio, legitimam ſucceſſorem in omnibus Regnis, & Dominijs noſtris, Reginas quoque Neapolis, Matrem, & filiam, ſororem, & neptem noſtras, & tanquam filias, Regumque primo. genitos, intentum noſtrum aperientes, enixè rogamus: Reuerendiſſimoſque Dominos Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Prælatos S.R.E. Dominos, Dominaſque, & Dominorum amicos, & beneuolos noſtros affectuoſè rogamus: voſque Reuerendum Archiepiſcopum Tarentinum in noſtro Regno Siciliæ citrà farum Cappellanum noſtrum maiorem, & qui in dicto officio Cappellaniæ pro tempore fuerit, requirimus, & hortamur: officialibus verò, & ſubditis noſtris omnibus præſentibus, & futuris, & præſertim iam dicto Illuſtri Don Raimundo de Cardona Lo-

cum-

cumtenenti noſtro, noſtrique exercitus in Italia conſtituti generali Capitaneo, cæteriſque Ducibus, Capitaneis, & ſubcapitaneis, magnatibus, alijſque officialibus dicti noſtri exercitus, quocunque nomine, & officio nuncupatis, & qui pro tempore fuerint: necnon noſtris Viceregibus, & Locatenentibus, & Regentibus, Conſiliarijs, Iudicibus, & omnibus officialibus, & ſubditis noſtris in noſtro Regno Siciliæ citrà, & vltrà farum, & vbique Regnorum, & Dominorum noſtrorum reſidentibus, tàm præſentibus, quam futuris: noſtriſque demum Oratoribus in Romana Curia, et apud Cæſaream Maieſtatem, omnibuſq; alijs in locis conſtitutis, & conſtituendis, alijſque omnibus, quauis auctoritate, poteſtate, & dignitate fungentibus, præſentibus, & futuris, dicimus, et diſtrictius præcipiendo mandamus, pena vnciarum auri mille adiecta: quatenus dictum Sacrum Monaſterium Caſsinenſe, & omnes Eccleſias, & membra illius, deuotoſq; Religioſos, Monachoſque omnes Congregationis prædictæ ordinis, S. Benedicti, illorumq; omnia, & ſingula Monaſteria, loca, & membra vbilibet conſtituta, in ſingularem, & ſpe-

tialem

tialem protectionem, cuſtodiam, & ſaluaguardiam ſuſcipiatis, et ſuſcipiant: eoſque Religioſos, Monachos, commiſſos, oblatos, familiares, laboratores, famuloſque, et eorum Monaſteria, loca, et membra, Iura, Caſtra, Caſalia, Molendina, poſſeſsioneſque: animalia quoque, et quæcumque alia bona mobilia, et immobilia, vndecunque et vbicumq; exiſtentia, et conſiſtentia, et quocumq; nomine nuncupata dictæ Congregationis Caſsinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, opportunis fauoribus proſequendo, eos, et ea ab oppreſsionibus, & grauaminibus præſeruando, contrà prædictorum inuaſores, iniuriamue inferentes, opportunè procedatis: vt quietè, et ſine aliquo impedimẽto, damno, iniuriaue, in eorum Monaſterijs locis, et membris viuere, et cultui Diuino intendere poſsint, rem gratam nobis facturi. Nos verò, Pater Beatiſsime, pro veſtra ſanctitate, proque Maieſtate Cæſarea Sereniſsima, et pro vobis dictis Regibus, Reginis, Regumque Primogenitis, veſtriſque ſubditis. Proque vobis Reuerendiſs. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et alijſque Prælatis S: R. E. omnibus, et alijs externis, ſimilia, &

longè

longè maiora facere pollicemur. Officiales verò, & ſubditi noſtri contrarium nullatenus tentaturi ratione aliqua, ſiue cauſa, ſi rem gratam nobis facere cupiunt, & ſi præter iræ, & indignitationis noſtræ incurſum, pœnam præappoſitam cupiunt euitare. Datum in Villa de Aranda de Duero, die vigeſima prima mẽſis Auguſti, tertiæ indictionis, anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo quinto. Yo el Rey. Cum ſigillo Regio pendenti.

CAP. XXXII.

NOn ſunt curſim, & ſicco pede tranſeunda, quæ in his Regijs litteris Catholicus iſte Rex narrat de bellis illius temporis: valdè namq; conducunt ad veritatem, de qua agimus, ſtabiliendam, & ad prædictarum litterarum intelligentiam. Notum eſt apud eos, qui Regum hiſtorias aliquatenus norunt: Inter præfatum Ferdinandum Regem Catholicum, ac Ludouicum duodecimum Francorum Regem, pactum fuiſſe de diuiden-

uidendo inter ſe Neapolitano Regno: ita vt terra Campaniȩ, in qua eſt Neapolis, Samnium, cum alijs quibuſdam prouincijs, Gallis: Calabria verò, & Apulia cum quibuſdam alijs, Hiſpanis cederet in dominium. Facta autem partitione, cum dominandi cupiditas vtroſque inceſſiſſet, cæperunt ſe inuicem prælijs laceſſere, conatique ſunt è Regno ſe inuicem expellere. Erat tunc Dux ſuper vniuerſas Ferdinandi Regis copias Conſaluus Ferdinandez de Cordoua, qui propter res in bello præclarè geſtàs, magni Ducis, ſiue Capitanei cognomen adeptus eſt. Hic ergò cum Barulo Ciriniolam Apuliæ Oppidum, ad pugnandum aduerſus Gallos veniſſet: vidēs, valde dubium eſſe prælium, ancipitemque victoriam: dum milites ad futurum certamen ſe ſe hinc inde parant, Conſaluus ad Deum, in cuius manu ſunt omnes bellorum euentus, recurrit: preces humiliter, ac deuote fundit, atque interuentu B. Patris Benedicti, cuius patrocinio vti ſolebat, diuinam opem, & auxilium implorat, ſeque & exercitum Domino commendat, nec de-

Conſaluus Magnus.

defuit votis Diuina clementia. Eadem ſiquidem nocte quieſcenti Conſaluo, reuerendi vultus ſenex, Monaſtico, nigroque indutus habitu apparuit, ſeque fratrem Benedictum, cui ſe, & exercitum commēdauerat, cuiuſq; interceſsióne Dei auxilium implorauerat, eſſe dixit: Certamque victoriam repromittens, iuſſit, vt Caſſinenſe Monaſterium vbi cum ſorore ſua Scholaſtica quieſcebat, ſuæ Congregationis Monachis reformandum, regendumque concedi, ac tradi omnino curaret, atq; ſatageret: quibus dictis diſparuit. Sequenti die vtrinque pugnatum eſt: Et quamuis incendium, quod initio pugnæ Hiſpanorum commeatus, atque præſidia inuaſit, eos valdè terruerit, Gallos verò ferè ſecuros de victoria obtinenda reddiderit: Conſaluus tamen cum ſuis, iuxta Beati Patris promiſſum, victoria potitus eſt. Contigit autem hæc victoria circa finem menſis Aprilis, anno Domini milleſimo quingenteſimo tertio. Sic itaque Ferdinandus Rex, Sanctiſsimi Patris Benedicti interuentu, & meritis, necnon Conſalui

Magni Ducis prudentia, & ſolicitudine, Neapolitano Regno potitus eſt. Meminit
Sabellicus huius rei Marcus Antonius Sabellicus illius temporis ſcriptor. libr. 10. exemplorum cap. 6. §. vltimo. Cui titulus eſt, De Conſaluo Magno Agidiario, ita ſcribens. *Magnam eam animi ſolertiam fuiſſe neceſſe eſt, qua vſus Conſaluus Agidiarius Barulana obſidione a Gallis preſſus, non modo eos refudit, ſed demum, & vicit. Incluſerant Galli Conſaluum intra Barulum, qui ingentibus copijs aſſidebant: tenuit ſeptem menſes obſidio, cùm Hiſpanus miles, occupatis omnibus locis, vnde commeatus inuehi in oppidum poſſent, ne à muribus quidem, & herbarum omni genere abſtineret: In hac temporum difficultate nihil non excogitatum ab illo eſt, quo militum animos placaret: nunc monendo, nunc hortando, ſæpe ſe ſe gregarijs inferendo, ſæpe ſpe venturi commeatus, & ſubſidij ſolando, adeò effecit, vt qui de eo necando cogitarant, mutata*
Nota Verb. *ſententia, in fide manſerint. Quo tempore conſtat, illum Diui Benedicti oraculo victoriam ſperare monitum: ex quo mox ille victoria potitus, eius familiæ, Caſſinatem ſaltum, cum ve-*

vetuſtiſsimo Cęnobio, reſtituendum curauit. Hæc Sabellicus,

Victis tandem, ac profligatis Gallis, totoque Regno Neapolitano expulſis, Conſaluus Dux Neapolim rediens, vniuerſis Regni nobilibus comitantibus, aurea veſte indutus, Vrbem triumphans ingreſſus eſt. Cumque poſt prandium, cùm optimatibus, primoribuſque viris, qui aderant, reſediſſet: coram omnibus retulit, qualiter ea nocte, quę prælium Ciriniolæ cum Gallis commiſſum præceſſerat, Beatus Benedictus ſibi apparuiſſet, certamque victoriam promittens, vt Caſsinenſe Monaſterium, vbi cum ſorore ſua Scholaſtica corporaliter requieſcit, Monachis ſuis reformandum, & regendum tradi curaret, iniunxiſſet. Potitus ergo optata victoria, velle iuſſa Beati Benedicti adimplere. Cum autem variæ ſint Monachorum S. Benedicti Congregationes, vt certus redderetur, cui nam reſtituendum, ſeu tradendum erat ſacrum Caſsinenſe Monaſterium, iuſsit vniuerſos Abbates Benedictinæ familię, qui tunc Neapoli erant,

ad ſe venire. Affuit inter eos Vincentius de Neapoli, Cœnobij S. Seuerini Abbas: quem conſpicatus Conſaluus, protinus dixit: Sub hac forma, & habitu mihi B. Benedictus apparuit: Interrogans autem de nomine Congregationis ipſius, deque Abbatiæ Caſsinenſis poſſeſſore, ab eo reſciuit, Congregationem S. Iuſtinæ de Padua appellari; Ioannem autem de Medicis S.R.E. Cardinalem Abbatiam Caſſinenſem tunc in commendam obtinere. Quibus probè cognitis: Ferdinando Regi Cõſaluus Dux quam primum litteras miſit, in quibus prædicta omnia referens, obnixè deprecabatur, vt iuſsionem S. Patris Benedicti quantocius adimplere curaret. Pijsſimus verò, ac religioſisſimus Rex, cũ eſſet in Diuum Benedictum, atque in eius ordinẽ deuotisſimo ſtudio propẽſus, cuperetque in omnibus Monaſterijs ipſius regularem vigere obſeruantiam, cæpiſſetq; iam eius ope, & fauore, plura Hiſpaniarũ Cœnobia, obſeruantiam regularem, ſeu reformationem recipere, & profiteri: receptis Conſalui litteris, ſtatim egit cum

prę-

præfato Iōanne Cardinali Caſsinenſi Cō-
mendatario, vt Abbatia ſe abdicaret: atq;
cum Romano Pontifice, tunc Iulio Secundo, vt Abbatiam, & Monaſterium prædictum, Monachis Congregationis S. Iuſtinæ reformandum, ac perpetuò regendum traderet: quod & obtinuit. Anno namque milleſimo quingenteſimo quarto, decimo ſeptimo Calendas Decembris, Pontificatus eiuſdem anno primo, expeditæ fuerunt litterę vnionis, quarum vigore Monachi præfatę Cōgregationis realē, & corporalē Cœnobij Caſsinenſis poſſeſſionē inierunt, die Dominico, duodecimo Ianuarij, anno milleſimo quingenteſimo quinto. Hæc itaque omnia, breuiter inſinuat Ferdinandus Rex Catholicus in præfatis ſuis litteris.

Conſaluus autem obtulit B. Benedicto veſtem illam auream, quam induerat Neapolim ingrediens, ex qua confectum eſt precioſiſsimum pallium, ſiue pluuiale, quod etiam nunc in Sacrario Caſsinenſi perdurat: Obtulit prætereà pannū quoddam ſericum deauratum, valde longum, & am-

amplum, vt ex eo veſtes ad ſacra myſteria peragenda conficerentur.

CAP. XXXIII.

Carolus V. POſt Regis Ferdinandi teſtimonium, accedat Carolus Quintus Imperator toto orbe notisſimus, & ſuum de hac re teſtimonium dicat. Is itaque vnà cum Ioanna Regina Matre, litteras dedit ad Leonem Papam decimum, & ad omnes in vniuerſum, tàm Eccleſiaſticos, quã laycos, tàm ſibi ſubditos, quàm non ſubditos: In quibus inter cætera, ſic ait. *Cùm nobis tot Regna, & Dominia, nullis id noſtris meritis exigentibus, à Deo optimo maximo ſint commendata, ſub cuius ſpetiali protectione cuſtodiuntur, & conſeruantur: totque bona de larga manu Summi Regis Regum ſuſceperimus: quoad poſſumus laboramus, atque poſtbac ſemper nitemur, vt in aliquod gratitudinis ſignum, ædes ſacras, ac viros religioſos eius ſeruitio vacantes, bonaque Eccleſiaſtica omni ope, auxilio, ac fauore proſequamur. Quapropter, cùm annis præteritis Catholicus Do-*

Dominis Rex Ferdinandus Pater, Auus, & præceſſor noſter immediatus, glorioſæ memoriæ, Zelo Domus Dei, apud Sanctam Sedem Apoſtolicam ſuas interpoſuerit partes, vt Sacrum Monaſterium Caſſinenſe, toto orbe celeberrimum, omnium Monaſteriorum caput, initiumque totius ordinis S. Benedicti, in Regno noſtro Siciliæ citra farum poſitum, vbi Corpora ipſius Sancti Benedicti, ac Virginis S. Scholaſticæ eius ſororis, vno, eodemque ſepulchro ſine dubio condita ſunt, & humata, atque in Domino requieſcunt, ad priſtinam redigeretur obſeruantiam, prout redactum fuit, totumque ordinem ſub eius Regia protectione ſuſcepiſſet: noſque dicti Catholici Regis, non ſolum Regnorum, ſed etiam omnium virtutum, & bonorum operum hæredes ſimus, & eſſe volumus: vtque gratitudinis prædictæ aliquod ſignum oſtendamus, præſentes litteras ſpontè, ac libentiſſimè iuſſimus expediri: per quas omnium fidelium Chriſtianorum, præſentium, & futurorum nouerit deuota reſpublica, quod nos ob deuotionem præcipuam, quam habemus S. Benedicto, omnium Monachorum Patri, inſtitutori eiuſdem Monaſterij,

&

& fundatori, totique Congregationi ipſius. Et reliqua, quæ in fauorem dicti Monaſterij eiuſque Congregationis in prefatis litteris continentur. Sub *Datum Bruſſellis decimaquinta menſis Ianuarij, quintæ Indictionis. Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo.* Ambę iſtę litteræ auctenticæ ſeruantur in Archiuo Caſſinenſi, ex quarũ authographo ego de verbo ad verbũ eas fideliter trãſcripſi.

Aduertat autem prudens lector, Reges iſtos, non abſque ſolido fundamento, tàm conſtanter aſſeruiſſe, Corpora S. Patris Benedicti, ſororiſque eius Scholaſticæ Virginis apud Caſſinum requieſcere; conſtitit namque illis, tum grauiſſimo magni Ducis Conſalui teſtimonio, id ſe ab ipſo B. Benedicto per viſum accepiſſe affirmantis; tum ex Iulij Secundi Pontificis Summi idem in ſuo Diplomate de Corpore B. Benedicti aſſerentis, teſtificatione: tùm denique, quia paucis antè annis, Corpora Sanctiſſimi Patris Benedicti, ac Sanctæ Scholaſticæ, ſororis eius, à Ioanne ab Aragonia, S.R.E. Cardinali, Ferdinandi Re-

gis

gis Neapolis filio, Sacriq; Caſsinēſis Cœnobij Abbate Commendatario, Caſsini reperta fuerant. Cuius inuentionis ſeriem cùm quoddam publicum, & authenticum documentum fideliter referat, hic illud de verbo ad verbum tranſtulimus, vt ſequitur.

C A P. XXXIV.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. anno Natiuitatis eiuſdem milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſexto, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Innocentij Diuina prouidentia, Papæ VIII. anno eius tertio, diè verò decima octaua menſis Nouembris, quintæ Indictionis: In Sacro Manaſterio Caſſinenſi, præſenti publico documento declaramus, notum facimus, & teſtando fatemur: qualiter dùm magnificus, & excellens Dominus Ioannes Antonius Carraffa, miles, filius Illuſtris, & Excellentis Domini Diomedis Carraffa, Comitis Magdaluni, & Viceregis Caſſinenſis, fuiſſet tranſmiſſus per Sa- Inſtrumētū Inuentionis Corporum SS. Benedicti, & Scholaſtica.

cram, & Regiam Maieſtatem Regis Ferdinandi de Aragonia, gubernator in Abbatia Caſſinenſi: & habuiſſet notitiam à nonnullis fidelibus, probis, & fide dignis perſonis, Deum timentibus, & maximè ab experientia, quæ rerum magiſtra nuncupatur, dùm glorioſſima Corpora Beatiſſimi Patris Benedicti, & Scholaſticæ eius ſororis, ac Simplicij, & Conſtantini, & Caroli Manni, Regis, & Monachi Caſſinenſis, fuiſſent recondita ſubtùs maiore Altari S. Benedicti, vera teſtante ſcriptura, modo infraſcriptò, videlicet. Quia loculus, in quo poſita ſunt Sanctorum Corpora, eſt marmoreus, in dextera parte ſepulchrorum longitudinis quatuor pedum, latitudinis penè duorum, in quo oſſa Sanctiſſimi Patris Benedicti, & ſororis eius poſita ſunt: in ſiniſtro autem latere ſepulchri, loculus erat ingens poſitus, in quo caro eorum poſita fuit: poſiti autem fuerant ita: Capita eorum, contrà Chorum, pedes contrà Altare ſancti Ioannis Baptiſtæ habentes: iuxtà pedes verò eorum inuenta fuerunt ſepulchra, in quibus Carolus Mannus Rex, & Monachus, ſanctus Conſtantinus, & Simplicius requieſcebant. A dextro

L autem

autem Altaris latere Benedictus Pater Sanctiſſimus, & Scholaſtica ſoror inuenti fuerunt. Et quia varietas perſonarum erat, quod Corpus ſancti Benedicti non fuiſſet in eodē loco: quondā Illuſtriſsimus, & Reuerēdiſſimus Dominus, Dominus Ioannes de Aragonia Regius filius, ac S. R. E. miſeratione Diuina, Tituli S. Adriani, Presbyter Cardinalis, cùm Reuerendiſſ. Ludouico de Borgis Aquilano Epiſcopo, eius Auditore, & cum quibuſdam alijs, cupiens perquirere veritatem: tùm auiditate Corpora tantorum ſanctorum inueniendi, tùm etiam pro decore Eccleſiæ, dictum Altare mutauit, die videlicet, decimaoctaua menſis Nouembris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo-quarto: & ipſum Altare conſtrui fecit ſubtùs tribunam maiorem dictæ Eccleſiæ vbi priùs erat Altare S. Ioannis Baptiſtæ. Et dùm Magiſtri in arte periti amouiſſent dictum Altare magnum, & aliquantulùm ſubtùs cæpiſſent effodere, & ſuperiores lapides amouere, factus eſt terræmotus magnus, & tempeſtas magna orta fuit, cùm ventis, & tonitruis, adeò, quod quaſi non cognoſcebatur, an eſſet

nox, vel dies: & territis magiſtris, qui ibi aderant, præ timore magno obſtupuerunt, & relictis opere, & effoſsione, ceſſauit tempeſtas. Et accedentes iterum ad effodiendum dicta ſanctiſsima Corpora, ſimiliter orta fuit altera tempeſtas, & terrremotus, & relicto opere, ceſſauit tempeſtas. Et reuerſi ſunt tertio ad dicta Corpora effodiendum, & tertio rediit tempeſtas. Mandato dicti Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Cardinalis, magiſtris ipſis effodere propter hoc minimè ceſſantibus, dicta ſanctiſsima Corpora ſanctorum inuenerunt, eo quidem ordine, quo ſuprà ſcriptum eſt. Et ipſis corporibus commotis, apertis ſepulchris, corpore Caroli Manni antedicti, & corporibus Conſtantini, & Simplicij, ipſiſque in ſacriſtia cùm alijs reliquis ſanctis collocatis, ad corpora Beatiſsimi Patris Benedicti, & Scholaſticæ redierunt: ex quorum carne ſuper tabulam perfiream manna continuè diſtillare viderunt, & miraculoſè in ipſa tabula conſeruari, & ipſam non egredi, & ex hoc dicta corpora Sanctorum non amouerunt, & continuè à Monachis dicta corpora cuſtodire fecerunt. Et ſtantibus his, Nouitij om-

Nota hæc bene.

nes

nes de mādato dicti Domini Cardinalis Commendatarij Caſsinenſis, è monaſterio ipſo foras pelluntur, & parentibus reſtituuntur, ac conſanguineis: Et pauco tempore poſt, idem Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus Dominus Cardinalis de mandato regio acceſsit ad Vrbem Romam ad Summum Pontificem, ibiq; per dies manens, quartanæ morbo ægrotat, & ſicut Deo placuit, eodem morbo quartanæ moritur. Mortuuſq; cùm eo fuit dictus epiſcopus Aquilanus, & quaſi alij omnes de ſua familia, qui amotioni dictorum Sanctorum corporum interfuerunt. Moxq; inter Summum Pontificem, & Dominū Regem guerræ, & prælia magna inſurrexerunt: & in tota Abbatia Caſsinenſi anguſtiæ, & tribulationes ſuprà modum, & in toto regno. Et Barones, ac magnates regni, quaſi omnes rebelles facti Regi, vſq; ad ſecretarium Regis, qui ſecretò vnà cum dictis Baronibus coniuratam fecerunt contrà Regem, & quærebant opportunitatem, vt ipſum dolo caperent, & occiderent. Et durantibus guerris, & tribulationibus prædictis, ordinatiſq; caſtellano, & cuſtodibus in monaſterio Caſsinenſi per di-

ctam Sacram Regiam Maieſtatē, ipſiſq; ibidem permanentibus, Monachi Caſinenſes cum Priore ex dicto Monaſterio expelluntur, & ad Ciuitatem S. Germani propter guerrarum prædictarum ſuſpitionem, mittuntur: remanētibus tamē in dicto Monaſterio Monachis tribus cùm Sacriſtano, qui Diuino cultui inſeruirent, & Miſſam celebrarent. Et dimiſſo per eos Dormitorio, de mandato dicti Caſtellani, cùm cubiculis eorum ad Sacriſtiam Caſinenſē deuenerunt, ibidemq; continuè durantibus guerris, & tribulationibus prædictis, permanſerunt. Et multæ Præpoſituræ Monachorum, & beneficia etiam de Monachali menſa, per dictum Dominum Regem Laycis, & Secularibus perſonis conceduntur. Et durantibus prædictis, Illuſtriſsimus Franciſcus de Aragonia, eiuſdem Domini Regis filius, qui vernacula lingua ferebatur, eligendus in Commendatarium prædictæ Abbatiæ Caſinenſis, Neapoli infirmitate grauiſsima infirmatur, adeò quod ex eadem mortuus fuit. Et tranſmiſsis certis internuntijs dicto Domino Regi, notificando ei de prædictis, & ſtatu, ac diſpoſitione Monachorum Caſinenſium, median-

mediante dicto Ioanne Antonio Carraffa, regno adhuc non placato: Prior Caſsinenſis cùm decem Monachis, ex ordinatione, & licentia dicti Domini Ioannis Antonij ad dictum Sacrum Monaſterium, cùm ſeruientibus ad Miſſam reuertuntur, moxq; inſperatò Papa cùm Rege placatur, multiq; Barones, qui fuerant primitus rebelles ad deuotionem, & obedientiam regiam reducuntur, & ab ipſis venia, & indulgentia poſtulatur. Et durantibus certis alijs Baronibus in eadem pertinacia, & mala voluntate, ipſiſquè cùm Rege non placatis, ex eorum ordinatione de Teucrorum aduentu in Regnum dubitabatur, & pro certo de ipſorum aduentu continuè verebatur. De alijs aduerſitatibus, & anguſtijs in toto Regno, & præſertim in dicta Abbatia contingentibus non eſt propter earum varietatem, & diuerſitatem poſsibile enarrare. His igitur attentis, & alijs mentem præfati Ioannis Antonij mouentibus, dubitanſq; ipſe, omnia præfata mala eueniſſe præfato dicto Domino Regi, eiuſq; dilectiſsimis filijs, & in toto Regno tribulationes, afflictiones, & anguſtiæ propter amotionem dicti Altaris, & dictorum

Corpo-

Corporum diſcooperitionem: timenſq; peiora futura, nè omnipotens Deus fuiſſet tali cauſa iratus, & infeſtus contrà dictum Dominum Regem, & regnicolas, cupiens Deo ſeruire, & id ſeacturum, quod ei placeat, ne dicta Corpora remanerent diſcooperta, dictū altare maius de nouo reædificari, & conſtrui fecit, & ad priſtinum ſtatum reduci: et Corpora Sanctorum Caroli Manni, Conſtantini, et Simplicij, quæ indè fuerant ablata, et in Sacriſtia recondita, in locum priſtinum, et in primas eorum ſepulturas, iuxtà pedes Beatiſſimorum Patris Benedicti, et Scholaſticæ, in caſſis plumbeis, proprijs nominibus deſuper ſcriptis plumbeis litteris, collocari fecit, et ſubtùs idem altare recondi, eo quidem menſe, die, et hora, quibus inde fuerant ablata, remota, et diſcooperta: Non appenſato, et data opera, vel de induſtria, ſed Diuina gratia cooperante: adeò quod omnes, qui ibi aderant, admirati ſunt, quod ipſo Domino Ioanne Antonio neſciente menſem, diem, nec horam prædictos, putauerunt potiùs diuino myſterio, & voluntate id operatum fuiſſe, quàm humano. Mandauitq; idem Dominus Ioannes Anto-

nius

nius Priori, & Monachis Caſſinenſibus dicto die officium S. Benedicti cùm Miſſa ſolemni in dicto Altari celebrari perpetuò in honorem omnipotentis Dei, eiuſq; glorioſiſſimæ Matris Virginis Mariæ, & glorioſiſſimi Patris S. Benedicti, S. Scholaſticæ, & aliorum Sanctorum. Sunt autem ſub dicto altari multa alia Corpora Sanctorum, quæ hic non ſunt aſcripta. Viſis autem Corporibus S. Benedicti, S. Scholaſticæ, & aliorum Sanctorum prænominatorum, dictus Dominus Ioannes Antonius, dicta Sancta Corpora, vt ſuprà, recondi, & ſuprà ſepulchrum Beatiſſimorum Benedicti, & Sbolaſticæ poni tabulam marmoream pro cooperimento ſepulturæ: & ſuprà dictam tabulam marmoream fieri ſolarium vnum de mattonis terreis, & ſuper mattonos aliam tabulam marmoream, marmoreis litteris aſcriptam, & ſculptam, verſus dicta Corpora Sanctorũ dictis litteris reuolutã, dicentẽ. Sub hac ſepultura iacent Corpora Beatiſſimi Patris Benedicti, & Scholaſticæ eius ſororis, recondita ex ordinatione Ioãnis Antonij Carraffæ Militis, filij Comitis Magdaluni, Vi-

ceregis Abbatiæ Caſſinenſis, ob ſuam ſpontaneam deuotionem.

Quibus omnibus ſic peractis, & vt ſuprà geſtis, fuimus pro parte dictorum Prioris, & Conuentus maxima cùm inſtantia requiſiti, & interpellati, vt de prædictis omnibus ad æternam rei memoriam cõficere deberemus publicum documentum. Nos verò attendentes, quia noſtrum officium publicum eſt, & nemini de Iure negari poteſt, de prædictis hoc præſens publicum confecimus documentum, & in Regiſtro Caſſinenſi annotauimus omnia & ſingula, vt vidimus, & oculata fide inſpeximus. Prædicta autem omnia, & ſingula notata ſunt manu mei Notarij Chriſtophori Peroni, de S. Germano, Procuratoris dicti Sacri Monaſterij Caſsinenſis: vt omnes firmiter credant, Corpora dictorum Sanctorum, vt ſuprà ſcriptum eſt, ſub dicto Altari verè collocata, & ibidem requieſcere, modo, ordine, & forma prædictis. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, certitudinem, et cautelam dicti Monaſterij, ac omnium, et ſingulorum, quorum, et cuius intereſt, aut in futurum poterit quomodolibet intereſſe, factum eſt de

de prædictis hoc præſens publicum documentum, et inſtrumentum, ſcriptum, et ſubſcriptum manu mei Notarij ſupradicti meoque ſolito, et conſueto ſigno ſignatum, ſubſcriptionibus, et Crucum ſignis infraſcriptorum Iudicis, e teſtium proprijs manibus roboratum, et communitum. Acta ſunt hæc ſub anno Domini, Pontificatu, die, menſe, Indictione, loco, modo, et forma prædictis: præſentibus ad prædicta, Domino Ioanne Antonio Carraffa, Domino Mercurio Carraffa: Zenobio Sancti Germani, ad cauſas, et contractus Iudice, proiudice Ioannello Cece de S. Germano: Honorato Domini Paſtoris de Colle S. Manni: Magiſtro Luca marmorario: Berardino Magiſtri Lucæ: Ioanne Michaelis de S. Helia: & magiſtro Petro de Foſſato Lombardo, teſtibus ad præmiſſa ſpetialiter adhibitis, vocatis, & rogatis.

Ego Chriſtophorus Peronus de S. Germano publicus vbilibet Abbatiali, & Imperiali autboritate Notarius, præmiſſis omnibus, & ſingulis, vnà cùm prænominatis Iudice, & teſtibus interfui, eaq; omnia, vt audiui, & vidi, omnia, & ſingula fideliter annota-

ui, & de notatis hoc præſens publicum inſtrumentum confeci, & in præſenti regiſtro Caſſinenſi manu propria ſcripſi, & publicaui, & in præſentem publicam formam redegi, meoq; ſolito, & conſueto ſigno ſignaui, requiſitus, & rogatus, in fidem, & teſtimonium præmiſſorum omnium. Appoſitum eſt conſequenter Notarij ſignum.

Originale huius inſtrumenti extat Caſſini in Regiſtro ſecũdo Bernardi Abbatis, fol. cẽteſimo ſeptuageſimo primo à tergo.

Meminit huius inuentionis Volaterranus illorum temporum ſcriptor, lib. 20. Antropologiæ. pag. 623.

CAP. XXXV.

EN tibi candide lector teſtimonia, quæ pro exiſtẽtia Corporum Sanctiſſimi Patris Benedicti, virginiſq; ac ſororis eius Scholaſticę in Eccleſia Caſſinenſi adducere placuit: quibus planè poſthac cuilibet certò conſtare debet, ea, non Floriaci, ſed Caſsini requieſcere: ſunt enim validiſsima, atq; veritatem hanc effica-

efficaciſsimè probantia. Et quidem apud Sanctam Sedem Apoſtolicam (cuius infallibile eſt iudicium) ad comprobandam aliquam veritatem, nil firmius, aut fortius miraculis, reuelationibus, & oculorum inſpectione iudicatur, & reputatur. Vndè quando agit de referendo, ſiue annumerando inter Diuos, homine aliquo, his, & non alijs vtitur medijs. Quod ſi iſta ſufficiunt ad aſcribendum aliquem Sanctorum cathalogo, cur non ſufficient ad aſtruendam, & firmiter ſtabiliendam Corporalem S. Patris Benedicti exiſtentiam in Caſsino Monte? Tot Summi Pontifices id aſſerunt: tot Imperatores, & Reges affirmant: tot miraculis, & reuelationibus confirmatur: toties hæc ſacra pignora viſa ſunt Caſsini, & adhuc dubitabimus? Abſit. Poſt fidei catholicæ veritates, nulla magis comprobata videtur, quàm hæc de exiſtentia Corporis Sancti Patris Benedicti apud Caſsinum. Qui ergò eam non credit, nimiùm incredulus eſt. Sicut enim qui citò credit, leuis; ita qui poſita ſufficienti cauſa, & ratione credendi, non credit, Eccl. 19.

dit, durus, & grauis corde cenſendus eſt. Si quis autem tot ſummorum Pontificum teſtimonia, tot Imperatorum, ac Regum aſſertiones, tot miracula, reuelationes, & oculorum inſpectiones, falſa, & conficta eſſe arbitratur, caueat ne falſitatis ſpiritu ſeductus ipſe fallatur. Si quis verò nouum miraculum ad credendum poſtulat, meminerit quid Abraham diuiti illi epuloni

Luc. 16. id ipſum petenti, reſponderit. Habent, inquit, Moyſen, & Prophetas, audiant illos. Habemus nos auctentica Summorum Pontificum ſcripta, audiamus illa. Sed infęlix ille diues, qui ſcripturis non credebat, ſubiunxit. Non Pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos pęnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Ita profecto eſt, qui ſcripturis non credit, etiam miracula, & reuelationes contemnet, calumniabiturque, ſicut de ſcribis, & phariſęis Euangelica prodit hiſtoria. Scio, veritatē hanc, de numero illarum eſſe, quæ citra ſalutis æternæ iacturam in dubium reuocari poſ-

ſunt:

ſunt: ſed æquè ſcio, quæ ſuperius allata ſunt teſtimonia, ſatis ſuperque eſſe, ad veritatem hanc perſuadendam, vt ita firmiter credatur, quemadmodum alia plurima, quæ cum humana fide tenentur, certa tamen, & indubitata eſſe creduntur. Si Summo Pontifici placuerit, facilè hæc veritas ipſius calculo probari poterit: tum inſpiciendo, & examinando, quæ adduximus pontificalia Diplomata: quę cum vera eſſe compererit, verum etiam quod nos aſſerimus comprobabit: Tùm præcipuè effodięndo Sanctiſsimi Patris Benedicti ſepulchrum, quod eſt Caſsini; vbi cum ſacras eius reliquias inuenerit, omnibus veritatem hanc proponere, ſuoque Diplomate confirmare, ac nequis amplius de hac veritate dubitet, præcipere poterit.

C A P. X X X V I.

QVoniam ad ſtabiliendam, & firmiter ſtatuendam aliquam veritatem, non ſufficit rationes, & argumenta in eius confirmationem adducere,

re, ſed oportet prætereà, ſi quæ ab aduerſarijs opponuntur obiecta, diluere, atque diſſoluere, ne qui illa legunt, vel audiunt, ignorantes vim, & robur illorum eſſe nullum, illaqueentur, & decipiantur, veritateque relicta; ad fabulas conuertantur: opportunè hoc loco ea, quæ Ioannes à Boſco ad impugnandam veritatem de exiſtentia Corporali S. Patris Benedicti apud Caſsinum, abſque vllo ordine congerit, & coaceruat, diſſoluere, & confutare intendo; vt remotis, ac ſublatis errorum tenebris, veritas ipſa, magis, magiſque omnibus eluceſcat.

Compertum eſt, vnum, & idem corpus, non poſſe abſque ingenti miraculo, duobus in locis conſiſtere: vnde quicumque probauerit, aliquod corpus eſſe in tali, vel tali determinato loco, conſequenter probatum relinquit, non eſſe in alio. Ideò Ioannes à Boſco quibuſdam Diplomatibus, & reſcriptis, tum Pontificum, tum aliorum, probare conatur, Corpus B. Benedicti Floriaci quieſcere, vt inde certa conſequentia pateat non extare Caſsini.

Poſſem

Poſſem quidem vnico verbo vniuerſis ab ipſo adductis reſpondere, dicendo (quemadmodùm ipſe de Diplomatibus Caſsinenſibus dicit) omnia eſſe commentitia, falſa, atque fictitia. Sed abſit a me tale reſponſum mordax, & temerariũ: Scio namque quid de crimine falſi cenſeat ſacri Canones, quamque graue, & infame ſit delictum. Ideò nec volo, nec debeo tale crimen alicui, etiam inferioris notæ homini, ne dum religioſis viris impingere: cum id abſq; graui piaculo fieri nequeat, niſi cauſa cognita ab habente auctoritatem, qualem ego non habeo, ſed Beatiſsimus Romanus Pontifex: qui ſi de controuerſia iſta iudicare voluerit, forſan decernet, Floriacẽſium Diplomata falſa eſſe, Casſinenſium autem vera. Reiecto igitur hoc dicendi modo, qui & Deum, & pias aures offendit, dicam ſimpliciter, quid de iſtis cenſeam papalibus reſcriptis: non quidem aſſerendo, & affirmando, ſed quæ mihi circa illa occurrunt dubia, proponendo: Lectori autem prudenti iudicium relinquendo. In primis ergò dico, quamuis verum

 eſſet,

eſſet, Diplomata iſta à ſummis Pontificibus emanaſſe, nil tamen inde aduerſus Caſſinenſes probaretur: quandoquidem non motu proprio, & ex certa Pontificis ſcientia, ſed ad inſtantiam partis expedita eſſe noſcuntur. Inter hæc autem magnum diſcrimen verſatur: Ea enim quæ Pontifex ex ſua certa ſcientia dicit, & narrat, verba Pontificis ſunt, & vt talia credenda, & amplectenda. Ea verò, quæ ex petitione, ſeu narratione aliorum litteris Apoſtolicis inſeruntur ſæpius falſa eſſe contingit: non enim Pontificis, ſed petentis ſunt verba. Exemplo quotidiano rem illuſtremus. Vacat quoddam beneficium curatum, valoris aureorum mille, de quo conſiſtorialiter prouideri ſolet: Petrus, quò iſtud beneficium facilius impetrare valeat, Pontifici exponit, beneficium illud ſimplex eſſe, nec valorem aureorum centum excedere, nec eſſe conſiſtoriale. Annuit Pontifex, & concedit beneficium Petro. Conficiūtur deſuper Apoſtolicę litteræ, in quibus beneficium illud tale eſſe aſſeritur, quale Petrus expoſuit. Nonne aſſertio iſta

falſa

falſa eſt? Itá planè: At non Papæ, ſed Petri eſt: nec ex eo, quod in litteris Apoſtolicis continetur, aliquam ſibi conciliat fidem, ſiue auctoritatem: Imo detecta falſitate narratiuæ, grauius inde meretur puniri Petrus, quia non quemlibet hominem, ſed ipſum Papam viſus eſt decipere. Similiter in noſtro caſu dicendum. Ea, quæ in aſſertis Diplomatibus, Monaſterio Floriacenſi conceſſis, de Corpore B. Patris Benedicti Floriaci exiſtente narrantur, non ex mente Pontificis, ſed iuxtà ſeriem, & tenorem libelli ſupplicis ſanctitati ſuæ porrecti, narrari, & dici: at verò in Diplomatibus Caſſinenſi Monaſterio cōceſſis, Pontifices ex profeſſo agunt de exiſtentia S. Patris Benedicti apud Caſſinum: vnde illarum aſſertio litterarum Pontificia cenſenda eſt, Floriacenſium verò minimè. Præferendæ igitur ſunt Caſſinenſes Floriacenſibus.

CAP. XXXVII.

SEd examinemus pauliſper ſingula reſcripta. Proponunt primo duo Diplo- Boſcus Pag. 239.

mata Leonis Papæ Septimi. Prius datum quinto idus Ianuarij, Pontificatus ipſius anno tertio: Poſterius datum Calendis Februarij, anno quarto: ambo Indictione vndecima. Quis non videt, falſam eſſe neceſſario alterius Indictionem? Non enim illis duobus annis eadem poterat currere Indictio. Reſpondebunt fortè, errorem hunc, vitio ſcriptoris, ſeu impreſſoris irrepſiſſe: Neſcio an ita ſit: ſed eſto. Cum videant in ſcriptis ſuis Indictionem erroneam, nec tamen velint, ſcripta illa Apoſtolica falſa cenſeri, cur ſi in Caſſinenſiũ Diplomatibus, ſimilis forſan error, eadem ratione obrepſit, vniuerſa falſa eſſe proclamant? Cur ſtatim Caſſinenſes Monachos impoſtores, & litterarum Apoſtolicarum falſatores eſſe vociferátur? Hoc nõ eſt veritatem inquirere, ſed odia ſerere. Profectò cùm ſcriptum ſit; quod tibi vis fieri, alteri fac: humanitatis veſtrę erat, in quo veniam vobis tribui vultis, cæteris indulgere: nè duo põdera in ſacculo, contrà Dei præceptum, habere videremini. Condonamus ergo vobis errorem iſtũ, perga-

Pro. 25.

mus ad alterum; In ſecundo eiuſdem Leonis reſcripto, inducitur Pontifex ita dicẽs. *Intimatum eſt nobis, in Monaſterio admodũ Reuerẽdo vocabulo Floriaco nominato, quod eſt in honorem Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri conſtitutum: vbi requieſcit egregius Pater, Dominus noſter Beatiſsimus Benedictus, decus, videlicet, gemmaque Monachorum.* Ita ne loquuntur Pontifices? quando aliquem Sanctum, Dominum noſtrum appellauerunt? Nullus Chriſtianorum, ne dum Pontificum, alteri à Chriſto, epitheton Domini noſtri tribuit: quia nullus, niſi ipſe Dominus noſter eſt. Et quidem Leo iſte Monachus non fuerat, vt vel ſic error iſte valeat excuſari: ſed qui bullam ſcripſit, forte erat, & ita titulum illum incompetentẽ, & quem B. Benedictus non amat, nec quærit, illi attribuit: reuerentiam quidem erga Beatum Benedictum, ſe habere oſtendens, ſed non ſecundum ſcientiam: Scio Beatum Gregorium lib. 2. regiſ. poſt epiſt. 38. in priuilegio Monaſterio S. Medardi conceſſo, eundem Sanctum, Dominum Medardum appellaſſe: at vero quẽ-

quam

quā pontificum, aliquem Sanctorum, dominum noſtrum vocaſſe, nuſquam hactenus reperire potui. Vnde ex hoc ſolo titulo perperam B. Benedicto tributo, argui poteſt falſitatis hæc bulla, non quidem meo, ſed Summi Pontificis iudicio. Habetur enim in cap. Quam graui de crimine falſi, Quod litteræ illę, in quibus Papa alicui titulum incōpetentē,& à ſtilo ordinario alienū tribuit, falſę cenſeantur: putà ſi Epiſcopum filium, aut præſbyterum fratrem vocet. Cùm ergo titulus Domini noſtri, Beato Patri Benedicto hic tributus, ſit incompetens, & à conſuetudine Pontificum valdè alienus, profecto (iuxta præfati Canonis ſententiam) falſa videtur iudicanda etiam ipſa bulla.

CAP. XXXVIII.

SEcundo loco affert Boſcus, litteras quaſdam nomine Alexandri Secundi expeditas: antè quarum exordiū, Pag. 241. iſta ſcribit. *Alexander Secundus Papa, bullam ſequentem litteris ferè ignotis, ac*

quaſi

quaſi Gothicis dedit. Ex quibus incipio præ dictam bullam arguere impoſturæ, quod videlicet Romani Pontifices in ſuis publicis ſcripturis, non fuerint vſi litteris incognitis, aut ferè Gothicis. Et dato, quod tempore Gothorum illis vſi fuiſſent: certè Alexandri huius tempore, qui poſt millesimum, & quinquageſimum annum à Domini Natiuitate ſedit, non erant in vſu apud Romanos Pontifices. Vidi ego plura illorum temporum monumenta, tàm Alexandri Secundi, quàm aliorum præcedentium, & ſubſequentium Pontificum, ſed vniuerſa latinis, non Gothicis, cognitis, non incognitis litteris exarata. Forſan illa præfatiuncula oſtendere voluit Boſcus ſuam ſummam ſapientiam, quod litteras alijs incognitas, ſolus legere potuerit. Secundo arguo aduerſus hoc Diploma, ex eo quod conſtituit Floriacenſe Cœnobiũ caput omnium Monaſteriorum Galliæ, quod quidem priuilegium fuerat à Beato Gregorio Monaſterio S. Medardi prius conceſſum: vt patet ex Regiſtro epiſtolarum B. Gregogorij lib. 2. poſt epiſtolã 38. Greg. lib. 2 Regiſt.

nec

nec credendum eſt, Alexandrum Secundum tali priuilegio derogare voluiſſe. Erant igitur in Gallia tunc temporis duo capita omnium Monaſteriorum, quod abſurdum omnino eſt, atque monſtroſum. Adde quod Helgaldus Monachus Floriacenſis in vita Roberti Regis loquens de Gauzlino Archiepiſcopo Bituricenſi, hæc
Baro. tom. 11. pa. 99. ait. *In honoribus ſæculi eum honorans (* Robertus ſcilicet Gauzlinum *) attribuit illi honores non minimos, Abbatiam Sancti Benedicti; quæ eſt Caput totius ordinis Monaſtici.* Loquitur autem de Abbatia Floriacenſi, vt patet ex his, quæ paulo antè narrauerat, Gauzlinum videlicet Abbatem fuiſſe Floriacenſem. Quod etiam aſſerit Aymoinus Monachus Floriacenſis apud Boſcum in proæmio libri de mira-
Boſc. p. 67. culis Sancti Benedicti, pag. 79. floruit autem Gauzlinus annos ferme quinquaginta, antequam preſens Alexandri Diploma expediretur. Non ergo huius bullę vigore Monaſterium Floriacenſe Caput omniũ Monaſteriorum Galliæ eſt conſtitutum, ſi Helgaldo credendum eſt. Si autem verum

rum dicendum eſt, nec prius, nec poſt hãc bullam fuit Monaſterium Floriacenſe caput omnium Monaſteriorum Galliæ, quia nunquam id fuit, nec poterunt oſtendere Floriacenſes cum ſuo Boſco, vnquã fuiſſe. Florebat certè tunc in Gallijs nobiliſſimum Cluniacenſe Cœnobium cum ſua Congregatione, cuius nunquam fuit caput Floriacenſe Monaſterium; Imò contra potius dici poſſet, quandoquidem Sanctus Odo Cluniacenſis Abbas prȩfuit Monaſterio Floriacenſi, vt conſtat ex eius actis, quȩ habentur apud Surium tom. 6. die 18. Nouemb. Cum itaque Floriacum nullo modo fuerit vnquam omnium Galliæ Monaſteriorum caput, nec eius Abbas cæteris præfuerit Abbatibus, videtur dicendum, hunc eſſe titulum ſine re, a Pontifice nunquam conceſſum, ſed à Monachis confictum. Tertio argumentor ex ſigillo huic bullæ appoſito, in cuius circumferentia hæc legitur inſcriptio. Deus noſter refugium, & virtus. At verò in eiuſdem Alexandri veris, & legitimis ſcriptis, circum ſigillum iſta leguntur: Exaltauit Boſc. p. 356

me Deus in virtute brachij ſui: vt videre eſt apud Cardinalem Baronium tom. 11. Annalium ad annum Chriſti milleſimum ſexageſimum ſecundum. Aliena ergo hęc inſcriptio videtur falſum reddere ſigillum: quod ſi ita eſt, falſæ etiam erunt ipſæ Apoſtolicæ litteræ, vt habetur cap. licet. de crimine falſi, adiuncta gloſa. Aſſeruntur præterea litteræ iſtæ, datæ Lucæ anno Pōtificatus eius vndecimo, cum tamen anno illo (vt docet Cardinalis Baronius) non Lucę, ſed Romæ commoratus fuerit Alexander: verùm quia error fortè irrepſit in anno Pontificatus enumerando, eum errorem vobis indulgeo.

Baro. to. 11 pag. 328.

2 Ad reſcripta Eugenij, & Alexandri tertij, reſpondeo, nil efficere contra nos: ſiquidem opinatiuè tantùm, & iuxta aliorum ſententiam aſſerunt, Corpus B. Patris Floriaci requieſcere, dum ita dicunt. *Cuius Corpus glorioſum ibi requieſcere creditur.* Vrbanus etiam Quintus quando reliquias S. Benedicti à Floriacenſibus ſibi dari iuſſit, ita loquutus eſt: *Cuius Corpus in veſtro Monaſterio requieſcere dicitur.*

Qui

Qui poſteà in Italiam veniens, præter innumera priuilegia, eaque illuſtriſsima, quæ Casſinenſi Cœnobio, propter reuerentiam S. Patris Benedicti ibi quieſcentis, contulit: bullam Zachariç Papæ de exiſtentia Corporis S. Benedicti apud Casſinum, ſemel, & iterum approbauit, & confirmauit: Vrbanus ergò Quintus non à Floriacenſibus, ſed à Casſinenſibus ſtat, eiſque patrocinatur.

CAP. XXXVIIII.

AD cætera teſtimonia dico: ea omnia eſſe Gallorum hominum, qui facilè pro patria teſtimonium dixerunt, arbitrati, verum eſſe, quod à Floriacenſibus de exiſtentia Corporis S. Benedicti apud illos, ferebatur: vndè & plures illorum, non aſſertiuè, ſed relatiuè loquuntur, dicentes: qui in Eccleſia Floriacenſi requieſcere dicitur. Deindè oppono plures paucioribus, & ſuſpectis omni ſuſpitione carẽtes. Sũt enim omnes veſtri teſtes Galli, At verò in fauorem Casſinenſium, non ſolùm Itali, verum etiam Germani,

& Hiſpani, imò & Galli ipſi, vno quaſi agmine facto, conſpirant. Mirum profe-
Baro. to. 8. pag. 499.
cto eſt (quemadmodum Cardinalis Baronius tom. 8, ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum quartum argumentatur) innotuiſſe Gallis, iiſque magnoperè exultantibus, Corpus S. Benedicti Floriacum eſſe tranſlatum: & tamen Francorum Principes, & alij innumeri, non Floriacum, ſed Caſſinum, vndique confluxiſſe poſt hæc: frequenteſque ſuſcepiſſe pietatis ergo pe-
Boſc. pag. 371.
regrinationes. Et quamuis Boſcus argumentum hoc floccipendat, ac leue, & nullius ponderis eſſe dicat, quapropter ad marginem iſta adnotauit: hæc coniectura parum premit, infraque diſſoluetur: tamen cũ ad ſolutionem ventũ eſt, adeò fortè, ac difficilè illud inuenit, vt diſſoluere nullatenus quiuerit. Audias, oro, lector, optimè ipſius ſolutionem de verbo ad verbum huc
Boſc. pag. 389.
tranſcriptam. *Quod verò peregrinationes frequentes Tranſalpinorum ad Caſſinum in teſtimonium adducat, hoc nihil efficit: alioquin, & frequentes totius orbis ad Betbleem Paleſtinæ concurſus hodiernus, præſepe Domini-*

cum ibi adeſſe conuin ceret, quod tamen Romæ eſſe ſcitur. Sic Boſcus. Egregium profectò reſponſum. Qui ad loca Sancta Paleſtinæ peregrinātur, ſicut in ſepulchro Hieroſolymitano Corpus Chriſti quieſcere non credunt, ita nec in Bethleem eiuſdem præſepe eſſe affirmant. Tranſalpini verò, qui Caſſinum deuotionis ergo confluunt, Corpus B. Benedicti ibidem requieſcere, ſeque ad illud viſitandum peregrinari, conſtanter aſſerunt. Manet ergo inſolutum Cardinalis Baronij argumentum pro Caſſinenſibus factum, nec vnquam illud diſſoluet Boſcus.

Ad Hiſtoricos à Boſco adductos, nec vacat, nec libet, nec eſt neceſſe reſpondere: tum quia eſſet opus laboris immenſi, vtilitatis verò minimę: tum præcipuè, quia nullus eorum (imo nec omnes quidem ſimul) tantæ eſt authoritatis, vt vel vni ex ſupra a nobis adductis teſtibus, valeat, aut debeat aliquatenus coæquari, nedum præferri. Ego certè tanquam verus Eccleſię filius, tot Pontificibus Summis ſubſcribere, indubiamque fidem ipſorum

ſcrip-

ſcriptis adhibere malo: quàm illis relictis, hiſtoricis iſtis mirè inter ſe pugnantibus, varijſque, ac multiplicibus de hac re opinionibus digladiantibus, auditum pręſtare, vel fidem. Cæterum ad ea, quæ de tranſlatione Sancti Patris Benedicti narrant, in ſecundo huius operis libello quantum neceſſe fuerit (Deo dante) reſpõdebo.

C A P. X X X X.

SVnt pręterea iu præfato lib. Ioannis à Boſco, ſcholia, & gloſſemata, ſiue notamenta varia, atq; diuerſa hinc inde ſparſa, quibus, tanquam obliquè, & ex inſidijs, impetit, lacerat, ſugillatq; Monachos Caſſinenſes, & vniuerſa eorum ſcripta, pręcipuè verò Leonem Oſtienſem, integerrimę fidei ſcriptorem: quæ cum ſint in magnum præiudicium veritatis (cuius patrocinium, & defenſionem in hoc opuſculo ſuſcepi) ſcripta, nequeo illa tacitus pręterire, ne ſilendo videar conſentire. Primum notamẽtum habetur præfixum epiſtolæ Oderiſij Aabbatis Caſſinenſis

nenſis, de qua ſupra, cap. 26. vbi ſic ait. *Extant, & litteræ Caſsinenſium ad Floriacenſes, quas legere erit iucundum, in quibus maximè intueri licet, conficta eſſe, quæ de Corpore S. Benedicti proferunt ex Leone Oſtienſi Caſsinenſes, & Apoſtolica reſcripta. Non enim Oderiſius Abbas Caſsinenſis, ſi ſuo tempore extitiſſent, ea tacuiſſet, cum tantopere ſatagat miraculis, atque reuelationibus Caſsinenſibus Corpus S. Benedicti vendicare. Quod longe expeditiori via per teſtimonia Romanorum Pontificum, ſi ad manum fuiſſent, præſtitiſſet.* Bosc. pag. 252.

Secundum notamentum ſimile eſt huic, ideò ſimul proponendum, vt pariter vtrique reſpondeamus. Affert quoddam fragmentum ex Adonis Treuerenſis Martyrologio, vbi agit de tranſlatione Sancti Patris Benedicti, ac ſororis eius Scholaſticæ: cui ſubiungit Boſcus de ſuo hæc verba. Bosc. pag. 365. *Hic præclarus Pontifex poſt Leonem Caſsinenſem ſcripſit: & licet aſsiduus eſſet Romanorum Pontificum aulæ, vt Aloyſius Lyppomanus indicat: Bullas tamen, quas Leo ipſe confingit, vtpotè nunquam datas, in recenſenda tranſlatione Sancti Benedicti haud pertimuit.*

muit. Cæterum, ſi quod veriſimiles coniecturæ mihi ſuadet, expromere liceret, dicere: neothericos quoſdã Caſſinates, Leoni Oſti. (vt ab eius & antiquitate & dignitate ſibi cõpararent fidẽ, & auctoritatẽ) partum ſuppoſuiſſe, cuius ſi rediuiuus eſſet, ſe minimè patrem inſcriberet. Nam quod rem vrget vehementer, illud eſt, quod S. R. E. Cardinalis, multa de Pontificibus Summis ſui ſæculi dicat, quæ veritati nulla ratione quadrare conuincuntur. Hæc Boſcus vbi ſupra.

In his notamentis multipliciter errauit Boſcus. Primùm dum aſſerit, Adonem Treuerenſem poſt Leonem Caſſinenſem ſcripſiſſe, cum multo ſecus ſe res habeat: ſiquidem Ado (vt ipſe etiam Boſcus aſſerit) ante annum Domini milleſimum octogeſimum primum, tẽpore Gregorij Papæ Septimi ſcripſit: Leonem verò poſt mortẽ Victoris tertij, qui præfato Gregorio in Pontificatu ſucceſsit, ſcripſiſſe conſtat ex eiuſdem Chronico, in quo obitum præfati Papæ Victoris deſcribit: quod facile potuit videre Boſcus. Vnde nonnullius oſcitantiæ arguendus eſt, qui adeò manifeſtam

feſtam falſitatem non agnouerit: vel ſi agnouit, alicuius impudentiæ, qui mendacium tam apertum (vt Leonem,& Caſſinenſes carperet) ſimplici lectori obtrudere voluit. Errauit ſecundo Boſcus dicens: Adonem non timuiſſe Bullas de trãſlatione S. Benedicti à Leone confictas,vtpotè nunquam datas. Bone Deus,& quænam ſunt bullę iſtæ, quas Ado non pertimuit? Ego circa Sanctiſsimi Patris Benedicti tranſlationem nullam aliam inuenio, præter illam Vrbani Secundi, de qua ſupra ca. 18.quam diximus ibidem à Clemente Quarto fuiſſe confirmatam.Quando autem ſcripſit Ado ſuum Martyrologium, nec dum fuerant creati Pontifices Vrbanus,& Clemens prædicti: quomodo ergo poterant eorum bullæ,quæ nondum extabant, ab aliquo timeri? Aliud autem Diploma Pontificium circa iſtam tranſlationem nec verum, nec commentitium, nec apud Leonem,nec apud alium ſcriptorem, nunquam poterit oſtendere Boſcus à Caſsinenſibus fuiſſe productum. Tertio errauit Boſcus, aſſerens, Leonem

bullas confinxiſſe, vel Caſsinenſes Monachos bullas confictas ex Leone protuliſſe. Neutrum enim verum eſt. Leo namque nullas adducit in ſuis ſcriptis bullas, nec Casſinenſes aliquam Leoni attribuunt. Volue, & reuolue Leonis Chronicon, & ſi in eo aliquam bullam inueneris, mendacem me eſſe pronuncia: Si autem non inueneris, falſum te dixiſſe humiliter confitere, vt veniam valeas obtinere. Quod ſi de bullis, quæ in calce Chronici Casſinenſis impresſi habētur, loqueris, illæ (quamuis perperam ibi ſint poſitæ) nec ſunt Leonis, nec quiſquam aſſerit, illius eſſe. Quare ergo tā audacter pronunciaſti, *Diplomata, quę Leo Casſinenſis affert, falſa eſſe*, cùm nulla afferat? Quare etiam non timuiſti allegare in tuum patrociniū Cardinalem Baronium, tom. nono. Ad annum Domini ſeptingenteſimū nonageſimum quintum in fine: quaſi frequenter huiuſmodi ſugillantem, ac pene reſpuentem Diplomata, ipſorum ex ſtilo confictionem deprehendens: cum in toto illo anno, nec in toto illo tomo, tale aliquid,

Boſc. pag. 388. Ad marginem.

de

de Leone dicat? Ego certè diligenter inquirens, illic aliquid tale, hactenus inuenire non potui. Concludens ergo tecum dico: Vel ſciens, & prudens aduerſus Leonem, & Caſsinenſes iſta ſcripſiſti, vel ignoranter: ſi primum, inique profectò, egiſti, dum contra propriam conſcientiam talia effutire auſus es: Si ſecundum, imprudenter egiſti, dum incerta pro certis, falſa pro veris, tam facile aſſeruiſti. Quod ſi in his tàm apertis, & manifeſtis hallucinatus es, non eſt cur in his, quæ ex vetuſtis bibliothecæ mẽbranis proferre te iactas, aliqua tibi à quoquam fides adhibeatur.

CAP. XXXXI.

Dixiſti prætereà, *Neothericos quoſdam Caſsinates Leoni Oſtienſi partum ſuppoſuiſſe cuius ſi rediuiuus eſſet, ſe minime patrem inſcriberet. Nam quod rem vrget vehementer, illud eſt, quod S.R.E. Cardinalis multa de Pontificibus Summis ſui ſæculi dicat, quæ veritati nulla ratione quadrare conuincuntur.* Et rurſus infrà. *Verum* Boſc. pag. 365.

Boſc. pag. 381. *cum in Leonis narrationibus, multa, ac penè omnia, me haud leuiter admonerent, de earum veritatis, atque integritatis certa fide dubitandi, imò & penè compellerent, &c.* Vbi non iam de bullis, ſed de ipſa Leonis Oſtienſis hiſtoria, videris mihi agere: Cumque nullam aliam legere potueris; præter illam Venetijs, operâ Laurentij Monachi Vicentini, per Lazarum de Soardis, die duodecima Martij 1513. excuſam, oportet, vt quæ aduerſus Leonis hiſtoriam aſſeris, aduerſus iſtam dicta eſſe intelligantur: In qua non pauca inueniuntur, quæ toto cælo, & à veritatis tramite, & à Leonis authographo deuiant. Vniuerſos ergo, qui hæc legerint, ſemel pro ſemper admonitos eſſe volo, extare in Archiuo Caſſinenſi codicem, ſeu volumen quoddam perantiquum, ante hos quadringentos annos ſcriptũ characteribus Longobardis, quod Chronicõ Caſſinenſe appellatur: diuiſum in quatuor partes, ſiue libros, quorum tres priores Leonis Oſtienſis eſſe dicuntur: quartus verò Petri Diaconi Caſſinenſis bibliothecarij. Incipit autem eius hiſto-

Caſſinẽſis Chronicõ notatur.

ria

ria à Beatisſimo Patre Benedicto, & vſque ad Innocentium Secundũ Papam protenditur. Hoc volumen videtur voluiſſe typis excudere præfatus Laurentius, Monachus quidem Cõgregationis Casſinenſis, ſed rerum Monaſterij Casſinenſis penitus ignarus, & inſcius: quippe qui nunquã Caſſinum viderit, nec ſupradictũ Chronicon manuſcriptũ legerit: Quod ex eiuſdẽ Vincentij epiſtola, initio libri pręfixa liquido colligi poteſt. Ita enim ille ſcribit Abbati S. Iuſtinæ de Padua, cuius authoritate, & iuſſu Chronicon illud excudi faciebat. *Quam profecto prouintiam vires noſtras excedentem ſubire non dubitaui, cum tui cauſa, cuius imperio non morem gerere, nefas eſſe duxi: tum rei ipſius ratione: vt ſcilicet eam à ſitu, & carie vendicarem: In Bibliothecis ſiquidem noſtris propemodum vetuſtate confecta, latitabat, breui (ni fallor) curriculo peritura.* Hæc Laurentius. In quibus autem bibliothecis liber, à quo ipſe hauſit, lateret, neſcio: hoc certo ſcio, Codicem Casſinenſem optimè conſeruari, nec ſitu, & carie tabeſcere, ſed integrum, & illibatum hactenus

ctenus permanere. Vt autem prudens lector agnoſcat, quam male hoc Chronicon impreſſum ab illo manuſcripto ſit exceptum, placuit quædam adducere loca, ex quorum collatione euidenter appareat, qualis, & quanta ſit inter vtraque diuerſitas. Pr. Locus. Primus locus ſit ille libri primi Chronici impreſſi cap. 48. vbi ſic ait. Temporibus Aionis Beneuentani Principis, & Stephani Papæ Quinti, eiuſque prædeceſſoris Formoſi: quem videlicet Formoſum, Stephanus Papa, qui ei ſucceſſerat, pro eo; quod cum eſſet Oſtienſis Epiſcopus, contra Sanctorum Canonũ decreta Apoſtolicam inuaſerat Sedem, de ſepulchro extrahi, abijcique mandauit, cunctaſque ipſius ordinationes irritas eſſe conſtituit. In manuſcripto verò ita loquitur verus Leo. Fuit autem temporibus Aionis Principis Beneuentani, & Stephani Quinti Papæ, & ſucceſſoris eius Formoſi: quē videlicet Formoſũ, Stephanus Papa, qui ei ſucceſſerat, de ſepulchro ſuo extrahi, abijcique mandauit, cunctaſque eius ordinationes irrritas eſſe ſtatuit: Pro eo ſcilicet,

quod

quod cum Oſtienſis Epiſcopus eſſet, contra Sanctorum Canonum decreta, Apoſtolicam Sedem inuaſerat. Sic de verbo ad verbum habetur in Codice M.S. lib. 1. cap. 45. ad finem fol. 29. à tergo. Secundo, in Chronici impreſſi libr. 2. poſt cap. 11. ſic habetur. Hic deficit cap. duodecimum: quod tamen in M.S. integrum legitur, & incorruptum. Præterea lib. 3. cap. 63. vbi agitur de conſecratione Papæ Victoris tertij, facta Romæ ſeptimo Idus Maij. Subditur ſtatim de tranſlatione S. Epiſcopi Nicolai, quam ſic refert Laurentius, Quo etiam die corpus S. Confeſſoris Chriſti Nicolai ex Ciuitate Myrenſi, vbi ſeptingentis ferme annis quieuerat, Venetias tranſlatum eſt: In cuius honorem ædificata eſt Eccleſia muſiuo tabulato, perquam decenter ornata, à Patritijs Venetis, & Monachis ibidem manentibus, maximo cum honore veneratur, & colitur. Quamquam nonnulli Barium tranſlatũ eſſe contendant. At Leo in M.S. cap. 66. ad finem fol. 156. à tergo ſic habet. Quo etiam die Corpus S. Confeſſoris Chriſti Ni-

Sec. Locus

Loc. tertij

Nicolai à Ciuitate Myrenſi, in qua per annos ſeptingentos ſeptuaginta quinque quieuerat, Barium delatum eſt. Eodem lib.cap.72. agens de obitu Papæ Victoris, ſic ait Laurentius. His ita diſpoſitis,atque decretis, ſepulchrum ſibi in ipſa Capituli abſyda parari iuſſit, atque poſt diem tertium fœliciter migrauit ad Dominum,decimo ſexto Calendas Octobris, anno Dominicę Incarnationis,milleſimo octogeſimo nono. Cum præfuiſſet in huius Monaſterij regimine annis viginti nouem, menſibus quatuor,diebus ſexdecim: In Se de verò Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio, anno vno, à conſecratione verò menſibus quatuor, diebus ſeptem. Leo verò in M.S.cap.71.fol.160. ſic habet. His ita diſpoſitis; atque decretis, ſepulchrum ſibi conſtrui in abſyda ipſius Capituli iuſſit, atque poſt diem tertium fœliciter migrauit ad Dominum ſextodecimo Calendas Octobris, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo ſeptimo: A Patris autem Benedicti tranſitu, anno quingenteſimo ſeptuagemo nono: Cum

Locus 4.

præ-

præfuiſſet in huius Monaſterij regimine annis viginti nouem, menſibus quatuor, diebus ſexdecim: In Sede verò Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio anno vno, ſacrationis, menſibus quatuor, diebus ſeptem.

Videntur ne tibi, ò lector, ea quæ Laurentius excudit, cum his, quæ Leo ſcripſit, concordare? Nihil minus. Crediderim ergo, Laurentium iſtum, ſortitum fuiſſe aliquod exemplar malè, & infideliter tranſcriptum: ſicque ex turbido fonte turbidas propinaſſe aquas, alijſq; bibendas tradidiſſe: vnde & a viris doctis male audit hoc Caſſinenſe Chronicon, & meritò: nam adeò plurimis ſcatet mendacijs, vt plane dicere poſſimus, tot in eo eſſe mendacia, quot ſententiæ. Abeat igitur hoc Chronicon tot erroribus plenũ, & iam neminem amplius decipiat, nec ea, quę ab altero confiсta ſunt, pro Leonis hiſtoria nobis obtrudat: nulla ei fides in poſterum adhibeatur: nullam enim meretur fidem, qui tam infideliter, & mendaciter, tot & tanta tranſcripſit. Curent au-

tem Pàtres Caſſinenſes, vt præfatũ Chronicon aboleatur, & illud M. S. à viris doctis, & probis, qui optimè litteras Longobardas legere norint, fideliter tranſcribatur: & in lucem, multorum vſibus profuturum, quam emendatum prodeat: vt ſic fides, & integritas Leonis Oſtienſis præclari ſui temporis hiſtorici, omnibus innoteſcat: Indecens enim eſt, vt propter multa male tranſcripta à Laurentio iſto Vicentino, vel alio quopiam imperito, fides, & auctoritas Leonis Cardinalis, & Epiſcopi Oſtienſis, vacillet, ac periclitetur.

C A P. X X X X I I.

EX his manifeſtè apparet, multa inueniri in Chronico Caſſinenſi excuſo, falſo deſcripta; quorum ſi Leo reuiuiſceret, ſe minimè patrem, & auctorem inſcriberet: verum hæc non efficiunt, quin falſus ſit Boſcus, dum aſſerit, Leonem ipſum bullas confinxiſſe, vel Monachos Caſſinenſes confictas bullas Leoni ſuppoſuiſſe: neutrum enim verum eſt,

nec probat, vel probabit vnquam Boſcus. Et vt ſemel Leonem Oſtienſem à calumnijs, quas iniuſtè patitur, defendamus: oportet reſpondere verbis illis à Boſco in ipſum dictis: ſcilicet, Leonem gloriantèr, ac mendaciter eſſe loquutum: quæ ipſe deſumpſit ex Cardinali Baronio tom. Annali 11. Ad annum Domini milleſimum quinquageſimum nonum: vbi poſtquam egiſſet de Synodo Romana ſub Nicolao Papa Secundo congregata, in qua Berengarius hæreticus errorem ſuum ſponte damnaſſe fertur: ſubinfert quę Leo Oſtienſis de Alberico Diacono, diſputante in Synodo Romana aduerſus Berengarium, eũque edito libello confutante, narrat lib. 3. Chronici cap. 33. Poſt verba autem Leonis, ſubdit ſtatim Baronius: *Hæc Leo, ſed glorianter nimis, ac valde mendaciter: nam vt audiſti, Berengarius abſq; vlla præuia habita in Synodo de hæreſi altercatione, ſtatim ſponte damnauit errorem:* Hęc Cardinalis Baronius: cui ſpero gratiſſimum fore, ſi quę pro veritate dicenda videntur, ea, qua par eſt ſubmiſſione, pro Leone reſpódero.

Boſc. pag. 384.

Baro. pag. 254. A.

Sic enim lego illum ſcribentem in præfatione ad appendicem to. 11. Annali. *Prima,* inquit, *illa cenſeri debet ſcriptorum fœlicitas, ſi à veritate nunquam pedem efferre contingat. Secunda verò fœlicitas illa debet exiſtimari, ſi quæ humana imbecillitate errata noſcuntur, eadem cognita emendare: quam nos aſſequi cum exoptemus, ita comparati ſumus, vt monitores noſtros, tanquam inſignes colamus benefactores.* Hæc Baronius. Quibus verbis permotus, oſtendere decreui, Leonem Oſtienſem, non mendaciter, ſed verè in enarranda inter Albericum, & Berengarium altercatione, fuiſſe loquutum: neque hac in re alium opto Iudicem, quam eũdem ſapientiſſimum Baronium; certus, quod perpenſis adducendis defenſionibus, pro Leone, imo pro veritate (quę omnibus eſt præferenda) iudicium proferet.

Baro. pag. 937.

Hiſtoriam igitur Alberici Diaconi deſcribit Leo in codice M. S. lib. 3. cap. 33. fol. 132, in hunc modum. *Per idem tempus Albericus Diaconus vir diſertiſſimus, ac eruditiſſimus ad hunc locum habitaturus aduenit. Hic in hoc Monaſterio poſitus compoſuit*

Leo Oſti.

librum de virginitate S. Mariæ: librum dictaminum, & ſalutationum: In muſica dialogum: contra Henricum Imperatorem, de electione Romani Pontificis: vitam S. Virginis Chriſti Scholaſticæ, homiliam eius: vitam S. Dominici; paſsiones Sanctorum Modeſti, & S. Cæſarij: librum de Dialectica. Temporibus verò eius facta eſt Synodus in Vrbe Roma aduerſus Berengarium Diaconem Eccleſiæ Andegauenſis, qui inter multa, quæ aſtruere nitebatur, dicebat, ſacrificium Corporis, & Sanguinis Domini figuram eſſe. Cumque nullus ei reſiſtere valeret, idem Albericus euocatur ad Synodum: quo dum veniſſet, poſt varia conflictationum genera, cũ pars parti non cederet, idem Albericus hebdomadæ vnius accepta licentia, librum aduerſus eundem Diaconem de corpore Domini edidit, Sanctorum Patrum teſtimonijs roboratum, in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit, æternæque obliuioni tradidit. Sic Leo. Sciendum ergò pro veritatis intelligentia, bis fuiſſe congregatã Synodum Romæ aduerſus Berengarium: ſemel ſub Nicolao Secundo Papa, anno Pontificatus eius primo; Domini verò mil-

milleſimo quinquageſimo nono. Iterum ſub Gregorio Septimo, anno eiuſdem ſeptimo, Domini autem milleſimo ſeptuageſimo nono. In prima Synodo Berengarius abſque vlla præuia de hæreſi altercatione, ſtatim ſponte damnauit errorem, vt Baronius vbi ſupra aſſerit. In ſecunda verò diſputatum eſt aduerſus illum, & præciſè Sanctus Bruno, qui paulò poſt fuit Signię creatus Epiſcopus, contra eundem diſputauit, vt eius vitæ acta teſtantur. Et Baro: etiam tom. 11, anno 1079. pag. 528. Quando ergo Leo Oſtienſis aſſerit Albericum diſputaſſe in Synodo Romana contra Berengarium, loquitur non de prima Synodo ſub Nicolao, ſed de ſecunda ſub Gregorio habita: quod ex eiuſdem Leonis narratione manifeſtè colligitur: Sic enim ait vbi ſupra. *Per idem tempus Albericus Diaconus, &c.* Quæro, Per quod tempus? Certè poſt annum milleſimum ſeptuageſimum primum. Fuit namque aduentus Alberici ad Monaſterium Caſinenſe aliquanto poſt conſecrationem Eccleſiæ eiuſdem Cœnobij, factam ab Alexandro Secun-

Baro. pag. 528.

do, Calendis Octobris, pontificatus ipſius anno decimo. Domini verò milleſimo ſeptuageſimo primo, vt habet idem Leo cap. 28. eiuſdem lib. 3. Poſt in Monaſterio cõſtitutus ſcripſit libros à Leone relatos; ac tandem ad Synodum euocatus, contra Berengarium diſputauit. Conſiderata igitur rerum ſerie, ac temporum ratione, à Leone diligenter annotata, Albericus Caſsinum venit extremis Alexandri Secundi temporibus: vnde in codice M. S. ſtatim poſt Alberici aduentum, Alexandri Papę obitus deſcribitur. Quando ergo celebrata eſt Synodus contra Berengariũ ſub Nicolao Papa, adhuc non venerat Albericus Caſſinum, nec habitum Monaſticum induerat, quando verò coacta eſt ſecunda Synodus ſub Gregorio Papa contra eundem Berengarium, Albericus erat iam Monachus, & libros ſupra à Leone relatos ſcripſerat, quibus ſibi nomen, & auctoritatem conciliauerat; ideoque vocatus ad Synodum fuit, in qua ea, quæ Leo refert, contigerunt. Leo itaque nec glorianter nec mendaciter loquutus eſt; Leo Oſti.

ſed

ſed quæ ſuo tempore contigerunt, fideliter enarrare ſtuduit. Quibus ſic ſtantibus, deleat, obſecro, ſapientiſſimus Cardinalis Baronius verba illa in Cardinalem, & Epiſcopum Oſtienſem nimis ſeuerè prolata, ſcilicet. Hæc Leo, ſed glorianter nimis, & valde mendaciter: reſtituatque eidē Leoni, elogium ſibi iure debitum, atque abipſomet, non ſemel eidem tributum, ſcilicet ſcriptoris integerrimi ſui tēporis: Sic enim
Baro.tom. 11.p.248. eum vocat eodem illo to. 11. & anno milleſimo quinquageſimo nono: quem etiam
Pag.503. anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ſcriptorem appellat ſinceræ fidei. Profectò ſi iſta Leoni conueniunt (vt verè conueniūt) nullo modo poterit eidem conuenire, eſſe valde mendaciter loquutum.

CAP. XXXXIII.

His pro mea in Cardinalem Baronium obſeruantia, proque Leonis Oſtienſis defenſione, dictis, iam nunc oratio noſtra ad Ioannem à Boſco ſe conuertit; cuius occaſione paululum

Iulum digreſſi eramus: vt oſtenderemus, Leonem Oſtenſ. nec mendaciter, nec glorianter eſſe loquutum, quemadmodum ipſe ſibi malè perſuadet. Fatemur equidem, omnem hominem falli, & fallere poſſe: at verò, iniquum eſſe cenſemus, ſi quem tanquam hominem deceptum fuiſſe contingat, nos, eum mentiri, aut decipere voluiſſe dicamus: Cùm illud fragilitatis humanę ſit, hoc autem malitiæ, & peruerſitatis. Ingenui autem, candidi, ſinceriq; animi indicium eſt, dicta, & facta dubia, & quæ in vtramque partem interpretari poſſunt, nunquam in malam flectere, aut detorquere. Quod ſi de peccatis, vel erroribus alicuius ſit quæſtio, tale iudicium proferre debemus, quo ſalua veritate, perſonæ, de qua agitur, nomen, & fama, integra, illęſaque permaneat. Qui enim dum poteſt fratris ſui honorem illuſtrare, denigrat, reus profectò eſt iniquitatis. Quod ſi in quemlibet hominem, iniurium eſſe, malum eſt: in viros religioſos, atque dignitate Eccleſiaſtica ſublimes, dilatare os, & eijcere linguam, peſſimũ erit, atq; grauiſſimum.

Vt autem Boſcus intelligat, quale piacu lum commiſerit, Leonem Oſtienſ. & Monachos Caſsinenſes inſectando, falſitatiſque, & impoſturę arguendo: libet hic inſerere fragmentum cuiuſdam epiſtolæ B. Petri D[redacted]ni Cardinalis, & Epiſcopi Oſtienſis ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem. Venit Beatus iſte vir Caſsinum,

Leo Oſti. lib.3.c.22. ibique per dies aliquot commoratus, multa familiariter cùm pręfato Abbate Deſiderio contulit: poſtquam verò indè diſceſſit, ad eum ſcripſit epiſtolam illam, cuius exordium eſt: Qui ſolus de nimij fluctus procellis eripitur. vbi circa finem eiuſmodi elogio exornat vnà cum Caſsinenſi Cęnobio, eoſdem Monachos Caſsinenſes, dicens.

Pet. D[redacted]. epiſtola. *Igitur, vt iam omnes communiter alquar, nolo vos lateat, venerabiles fratres mei, quia ex quo glorioſi Cænobij veſtri limen exceſſi, vos iugiter præ oculis habui, vos intimæ dilectionis viſceribus aſtrinxi: atque vt fatear, redeunti mihi à Caſsino Sacratiſsimo idem mihi contigit, quod mulieri, quæ reuertebatur à tabernaculo Silo: vt nimirum vultus mei non*

1. Reg. 1. *ſint amplius in diuerſa commutati. Vobiſcum*

ſanè

ſanè præſentialiter habito, vobis ſemper asſiſto. Alioquin, ſi propterea non ſum vobiſcum quia corporalibus oculis vos non intueor, ergo nec ipſi oculi ſunt in capite, quia caput cernere nequeunt: vel ipſi ſibimet oculi abſentes ſũt, quia nec quiſquam ſe, nec vterque ſe inuicem mutua contemplatione poſſunt conſpicere. Beati ſiquidem, qui inter vos, & in ſanctis operibus veſtris moriuntur. Pia nimirum fide credendum eſt, quia ſcala illa, quæ de Casſino Monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs ſtrata, lampadibus coruſcat: & ſicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum tranſmittat ad cæleſtia ſubſquentem. Nec ab eius glorioſo tramite exorbitant declinantes, iam defuncti, cuius in hoc exilio, dum viuerent, veſtigia ſunt ſequuti. Hoc eſt intimi feruoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde. Hæc perpes fabula, quæ meo verſatur in ore. Inter cunctos autem virtutum flores, quos in illo agropleno, cui benedixit Dominus, reperi; hoc fateor, mihi non mediocriter placuit, quod ibi ſcholas puerorũ, qui ſæpe rigorem ſanctitatis eneruant, non inueni: ſed omnes aut ſenes, cum quibus vir no-

Pro. 31. *bilis ſedebat in portis Eccleſiæ: aut iuuenili de-*
4. Reg. 2. *core lætantes, qui nimirum, vt filij Prophetarum, idonei ſunt ad Eliam per deſerta quærendum: aut certè adoleſcentiæ adhuc flore*
1. Ioan. 2. *vernantes, iuxtà Apoſtolum Ioannem, vicere malignum.*

CAP. XXXXIIII.

HAEc ſunt, quę de Caſſino, & Caſſinenſibus Monachis vir ille Sanctus, non aliorum relatu, ſed proprio intuitu perſpecta, verè, & fideliter ſcripſit. Cuius teſtimonio apertè conſtat, quam Sancti, ac omni virtutum genere florentes fuerint tunc Caſſinenſes Monachi, inter quos non mediocriter fulgebat Leo noſter, qui ob egregiam doctrinam, & ſanctitatem, in Cardinalium collegium cooptatus, Epiſcopus Oſtienſis fieri meruit. Quare ergò non timuiſti mittere manum in Chriſtũ Domini, talemque
Boſc. pag. 381. aç tantum virum proſcindere, ac omnes penè ipſius narrationes dubię veritatis, ac fidei eſſe, tam audacter affirmare? Cor-

rige,

rige, corrige ſententiam tuam, & poſthac cautior, & circumſpectior eſto in proferendo iudicio aduerſus viros, te doctiores, & clariores, qualem fuiſſe Leonem Oſtiẽſem, abſque aliqua tui nota, incunctanter aſſerimus. Quod ſi aliquam falſitatem, vel impoſturam Leonem Oſtienſem, aut Monachos Caſinenſes patraſſe deprehenderas, tuum erat cũ Sem, & Iaphet filijs benedictis, verenda patrum tuorum ſilentij pallio obtegere, non autem cum maledicto Cham, ſiue Chanaan ea cæteris, irridenda propalare. Tuum, inquam, erat, qualiter iſta, quæ de litteris Apoſtolicis à Caſinenſibus productis, circumferebantur, ſe haberent, diligenter prius inquirere, & inueſtigare, vt rectum iudicium proferre poſſes: quibus omnibus neſcio cur neglectis, ex abrupto, ac ſi vtramque partem plenè audiſſes, ſententiam aduerſus Caſinates protuliſti, dicens: Diplomata, quæ ex Leone Oſtienſi proferunt Caſinenſes falſa ſunt, & commentitia. Quod quam falſe abs te ſit dictum, ſuperius oſtenſum eſt. Videtur ergo in te per belle qua-

Geneſ. 9.

drare, quod tu perperã de Leone Oſtienſi dixiſti; ſcilicet, glorianter ac mendaciter eſſe loquutum. Quod ne videatur gratis, ac voluntarie dictum, accipe ex tuis proprijs ſcriptis, quæ me ad id aſſerendum inducunt.

Baro. pag. 383. In tuo Apologiſmo, de Monachis tuis Gallicanis agens, ita loqueris. *Aduerſus eos, vtpote aduerſus proditores domeſticos, atque familiares, primum initurus certamen, nõ multo negotio ipſos fundam, ac profligabo, vnico telo detectionis erroris Caſsinenſium ſcriptorum, quos violatæ veritatis arguo.* Sic ibi. Videris velut alter Philiſtæus aduer-

1. Reg. 17. ſus phalangas Iſrael loricatus, & ocreatus procedere: verba ventoſa iactare, ſingulos ad certamen prouocare, domeſticos tuos proditores vocando, exteros Caſſinenſes falſitatis incuſando: Sed ſicut tũc Philiſtæus ille nihil aduerſus Iſsaelitas efficere potuit, quin potius ab eis victus eſt, atque proſtratus: ita tibi continget in iſto certamine, vt lapide ſolidæ veritatis percuſſus, occumbas. Glorianter præterea,

Boſc. pag. 384. & 385 aſſeris, vniuerſum mundum tibi conſen-

tientem

tientem habere. Quod ſi ita eſt, rogo, quinam ſunt iſti domeſtici proditores, atque exteri oppugnatores, quos fundere, & profligare conaris? E quidem his verbis aperte doces, neminem te habere fidelem, ſed foris pugnas, intus timores pati: Certè Cardinalis Baron. tom. 8. ad annum 664. pag. 491. innumeros eſſe, qui tranſlationi Sancti Banedicti contradicunt, aſſerit. Igitur, quod habere te totum Mundum conſentientem dixiſti, glorioſum mendacium eſt, ſed non ſolum, habet enim comitem. Loquens namque de Cardinali Baronio, ſic ais: *Hunc autem ſi vel ad mea, imo veritatis caſtra, ſuorum verborum retibus captiuum traxero, iam debellatum eſt, iam triumphi ſtruendus apparatus, iam lauri gerendi Gallis, iam palmæ, iam arcus triumphalis ab eis, eiſque erigendus.* Infra verò Baronium ſuperaſſe, & ad tua caſtra pertraxiſſe mendaciter gloriaris dicẽs. *At tandẽ ipſe ſapientiſſimus Baronius manus dedit.* Videas, oro, lector, ingenium hominis inanem gloriolam aucupantis. Cardinalem Baronium ſapientisſimum profitetur, & optime quidẽ,

Boſc. pag. 383.

Boſc. pag. 389.

eſt

eſt etenim;ſed cum eundem ipſum, in ſuũ rete pertraxiſſe ſe iactat, ſapientiorem ſe illo facit: At quam glorianter, & mendaciter, nemo eſt, qui non videat. Tantum enim excedit Cardinalis Baronius Ioannẽ à Boſco, quantum ſupremi cæli vertex, infimo terræ centro dignoſcitur eminere.

CAP. XXXXV.

Boſc. pag. 225.

PErgit prætereà Boſcus, & in opprobrium, ac contemptum Caſſinenſis Monaſterij, & Monachorum eius, adducit libellum quendam, cui titulus eſt, de illatione S. Benedicti, cuius auctorem Diedericum Monachum Floriacesẽ aſſerit fuiſſe. Hic in Capitulo ſexto eius libelli, narrat, ſeu fingit potius, Sanctiſſimum Patrem Benedictum apparuiſſe cuidam Comiti Floriacenſis Cœnobij defenſori, nomine Giſulpho, eique inter alia dixiſſe. *Ego ſum frater Benedictus, qui de Beneuentanis finibus in Galliam tranſlatus, propriam requiem in Caſino Monte ſpreui, & hunc locum Floriacenſis Monaſterij elegi.*

Ad-

Adducit præterea Adreualdum in tractatu de tranſlatione S. Benedicti cap. 9. aſſerentem, tunc Beatum Benedictum elegiſſe Floriacum, quando, vt narrat B. Gregorius, totum mũdum ſub vno ſolis radio collectum conſpexit. Cum enim tunc vniuerſa mundi loca haberet præoculis, Floriacum tanquam omnium excellentiſſimum, elegit, atque dilexit. Scire vellem ab his, qui iſta confingunt, vnde habent, fuiſſe B. Patri Benedicto in illa viſione oſtẽſum Floriacum, quod nondum extabat? Et quid mouere potuerit Sanctisſimum Patrem ad ſpernendum Casſinum, ſibi à Deo cœlitus deſtinatum, & Floriacum omnibus mundi locis præferendum? Nec enim eſſe potuit quicquam materiale, aut corporeũ, puta loci amænitatẽ, ſoli fertilitatẽ, aeris ſalubritatem, aut quippiã huiuſmodi, quę mouere ſolẽt homines ad aliquẽ locũ eligendum: cùm poſt mortem, his nemo vti posſit. Oportuit ergo, fuiſſe aliquid ſpirituale, quale eſt illud, quod idem Diedericus ibidem aſſerit, B. Benedictum Giſulpho dixiſſe, ſcilicet, *vt lucerna diſcipli-*

Boſc. pag. 12.

Lib. 2. Dialect. ca. 35.

næ per meam corporalem coeſſentiam, vniuerſæ innoteſceret Galliæ. Hoc autem cum falſum omnino ſit, nullatenus potuit a. B. Patre Benedicto dici, aut præuideri. Si enim loquamur de promulgatione Monaſticæ diſciplinæ, iuxtà B. Patris Benedicti Regulam, in Gallijs facienda; hæc à B. Mauro, multos annos ante huiuſmodi prætenſam tranſlationem, facta fuit, nec à Floriaco ſed à Glanofolio ſumpſit exordium, & antequam Monaſterium Floriacenſe conſtrueretur, multa fuerant in Gallia erecta Monaſteria in quibus lucerna Monaſticæ diſciplinæ prius ſplenduit, quam Floriaci. Falſum ergo eſt, B. Benedictum elegiſſe Floriacenſe Monaſterium vt per eiuſdem corporalem coeſſentiam lucerna diſciplinæ vniuerſę innoteſceret Galliæ, cum multo ante quamplurimis innotuiſſet. Si autem de propagatione diſciplinæ Monaſticæ per totam Galliam poſt aduentum S. Patris Benedicti facienda, interpretari velis oraculum, vt ſcilicet à Floriacenſi Monaſterio ad cætera emanauerit, hoc gratis, & ſine fundamento, aſſeritur. Scrip-

tum

tum certe legimus de nobilisſimis Cœnobijs Cluniacenſi,& Ciſtertienſi,fuiſſe tanquam apum aluearia, ex quibus agmina Monachorum egreſſa,non ſolum Gallias, verum etiam alias prouincias inſtitutis repleuerint Monaſticæ Religionis: de Floriacenſi verò, quia nil tale legimus, meritò dubitamus. Alioquin doceant Floriacenſes, qualiter, & quando, & per quos ipſorum, lucerna Monaſticæ diſciplinæ per vniuerſam Galliam illuxerit, & propagata ſit: Quod cùm probare nequiuerint, fateantur neceſſe eſt, oraculum illud, quod Giſulpho aſſeritur factum, falſum eſſe, nec poſſe ſubſiſtere. Aduerſatur præterea huic aſſerto oraculo, oraculum illud, B. Patri Benedicto Casſini factum: cuius, præter Zachariam Papam in Diplomate, de quo ſupra c. 3. meminit Fauſtus ipſius S.Patris Diſcipulus in Prologo vitæ B.Mauri,necnon Adreualdus veſter in lib.de miraculis S. Benedicti cap. 6. A quibus aſſeritur, dum B. Benedictus deſolationem ſui Casſinenſis monaſterij inconſolabiliter fleret, Deum ſibi promiſiſſe,re- Fauſtus. Boſc. pag. 11.

Ee 2 ſtau-

ſtaurandum Caſsinenſe Cœnobium, atq; inde Monaſticam diſciplinam per totum orbem propagandam: quod verè adimpletum eſt, vt paulò infra videbimus. Infr.ca.47.

CAP. XXXXVI.

VT ergo oraculum illud Giſulpho Comiti factum, ſubſiſtere aliquatenus poſsit, non de Monaſtica, ſed de militari diſciplina (quam in Monaſterio Floriacẽſi legimus viguiſſe) interpretãdũ videtur. Hoc autẽ nõ ego, ſed auctores à Boſco adducti apertiſsimè affirmant. Ioannes Monachus in vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis, in quodam fragmento, à Boſco tranſcripto, ſic habet. Boſc. pag. 356.

Extãt hæc apud Suri. tom.6. die 18. Nouẽ. in vita S. Odonis.

Poſt eam perſequutionem, quæ facta eſt in Gallijs ſub Nortmundo ſæuiſſimo Normanorũ Rege: fratres Floriacenſis Monaſterij ob hoſtiũ metũ huc illucq; diſperſi, in illud reuerſi ſunt, ſed, quod ſine dolore animi dicere non poſſumus, locum illum ſanctiſſimum, iunctis quidem corporibus, ſed diſſectis animis occupabant. Cum autem quandoque in Monaſterio reſi-

reſiderent, & inter ſe corrixarentur: quidam ex eis confecto negotio, quod ei ex obedientia exequendum erat, domum reuertens, ante fores Monaſterij obuium habuit Sanctum Benedictum, qui ſic ei dixit: Denuncies fratribus meis, quandoquidem me non ſinunt quieſcere, me iam hinc recedere, nec huc reuerſurum, donec ex Aquitania quendam adducam virum, qui ſit ſecundum cor meum. Fratre autem volente interrogare quis eſſet: Ego ſum, inquit ille, frater Benedictus. Itaque frater ille properè hoc indicauit fratribus. Sed miſeri illi tanto orbati Patre, non ſe dederunt lamentis, & precibus, quibus non raro minæ omnipotentis Dei auerti ſolent, ſed aſcenſis equis, paſsim eum inquirere cæperunt, vt inuentum, vel vi, vel precibus reuocarent. Sed cum illum non inuenirent, fratrem, qui hæc dixerat, perpetuo ludibrio habuere. Per id tempus Heliſiardus Comes illuſtris, qui nunc Monachus eſt, audiens infamem illorum Monachorum vitam: Abbatiam illam à Rodulpho Francorum Rege petijt, & impetrauit, Patrique noſtro Odoni tradidit. Deinde adiunctis ſibi duobus Comitibus, & Epiſcopis, tam eodem

Patre noſtro Odone, ad illud Monaſterium venit. Sed vbi id Monachi illi perceperunt, correptis armis, alij in ædificiorum tecta ſe recipiunt, tanquam hoſtes ſuos lapidibus, & telis depulſuri, alij muniti clipeis, & accincti gladijs, Monaſterij aditum obſeruant, aiuntque ſe potius mortem oppetituros, quam eos, aut patiantur ingredi, aut alterius inſtituti Abbatem admittant.

Hucuſque Ioannes apud Boſcum.

Profecto vniuerſa, quæ hactenus relata ſunt, non ad Monaſticam, ſed ad militarem pertinent diſciplinam. Vbi etiam obiter notandum, quod Monachi Floriacenſes Sanctum Odonem Ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacenſis Abbatem, alterius inſtituti Monachum vocant: vt palam intelligas, Cluniacenſes non accepiſſe Monaſticam diſciplinam à Floriacenſibus, nec ab eis aliquo modo dependere: imo potius, Floriacenſes à Cluniacenſibus per S. Odonem modum viuendi Monaſticum perceperunt, quamuis in eo non diù perdurauerint: nam ad ſolitam militiam reuerſi, poſt annos plus minus ſexagin-

xaginta, S. Abbonem Floriacenſem Abba tem crudeliter necauerunt, vt docet Boſc. & confirmat Card. Baronius to. anna. 10. Ad annum Domini nongenteſimum: vt vi deas, militarem hanc, ſeu potius feralem, & indiſciplinatam diſciplinam diu apud Floriacenſes perduraſſe. Ad hæc verò facinora perpetranda; neſcio, quid corporali præſentia S. Patris Benedicti opus erat; cum potius eiuſdem præſentiæ conſideratio, Monachos iſtos à ſimilibus patrandis penitus deterrere debuiſſet. Sed, proh dolor, non ſolum ipſi militari modo in ſuis actionibus procedere voluerunt, verùm quod peius eſt, & religioſæ aures audire perhorreſcunt, ipſum Sanctiſsimum Patrem Benedictum iſtius militiæ Ducem, ac ſigniferum conſtituere non verentur, dum eum in duello, quaſi pugnantem introducunt, vt videre eſt apud Adreualdum libr. de miraculis Sancti Benedicti cap. 25. & Anonymum de miraculis eiuſdem Sancti cap. 11.

Boſc. pag. 413.

Baro. pag. 815.

Boſc. p. 50. & 161.

CAP.

CAP. XXXXVII.

IAm verò videndum eſt, an verum ſit alterum, quod in præfata viſione Giſulpho Comiti facta aſſeritur; videlicet, Sanctum Patrem Benedictum Caſſinum ſpreuiſſe. Ego cum Eccleſiaſticas hiſtorias lego, & inſpicio, contrarium penitus inuenio; ſcilicet, Beatum Patrem Benedictum ſemper valde Caſſinum dilexiſſe, curam illius egiſſe, ac vniuerſis ordinis ſui Cœnobijs prætuliſſe. Et quidem quando ſibi reuelata fuit Caſſinenſis Monaſterij futura deſolatio, atque ob id incõſolabiliter fleret, omnipotentis Dei vocem ad ſe audiuit dicentem. *Noli probatiſſime Benedicte, pro his, quæ huic euentura didiciſti loco mœſtum gerere animum: quoniam quod ſemel à Deo præfixum eſt, immutabile, atque irreuocabile eſt; ſolis tuo tibi merito cõceſſis habitantium in loco animabus: ſed aderit omnipotentis Dei conſolatio, quæ locum iſtum in ampliorem, & multò meliorem, quam nũc eſt; conſtituet gradum: & huius ordinis doctrina*

Fauſtus.
Zacharia.
Adreuald.

ctrina de hoc iterum per totum mundum radiabit loco. Notanda ſunt verba quibus omnipotens Deus ſeruum ſuum Benedictum conſolari dignatus eſt: non enim dixit. Noli flere pro his, quæ huic euentura ſunt loco, quia ego tibi aliũ longè meliorem præparaui (Floriacum nempè) ſed promiſit, Caſsinenſe Monaſterium reſtaurandum, atque in ampliorem, quàm tunc erat, gradum conſtituendum, doctrinamq; Monaſtici inſtituti ex eodem loco per totum mundum propagandam fore affirmauit: quæ omnia, vt prædicta ſunt eueniſſe conſtat. Et vt ab hoc vltimo incipiamus, S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, cuius acta habẽtur apud Suriũ tom. 5. die 28. Septẽbris. Volens vtriuſq; profeſsionis Monachorum ſcilicet, & Monacharum ordinem obſeruari, idoneum magiſteriũ ſtuduit adipiſci, miſitq; Caſſinum Montẽ Stirme, (alias Sturmi) Diſcipulum ſuum, virum genere, & moribus nobilem, vt in Monaſterio, quod B. Pater Benedictus inſtituit, diſciplinam regularem, & vitã, moreſq; Monaſticos agnoſcere, S. Bonifacius.

ſcere; Paſtorq; futurus, diſcipulus fieret, atq; in ſua ſubiectione diſceret, quomodo alijs præeſſe debuiſſet; ſimiliter Sanctus Diſibodus Epiſcopus, cuius acta habentur apud Surium tom. 4. die 8. Iulij, ex Hibernia in Germaniam tranſiens, nuntios Caſsinũ miſit, ſupplices preces offerens, vt quidam ad ipſum venirent, vineam Domini Sabaoth, ad præſcriptum doctrinæ B. Benedicti plantaturi: vndè & Monaſterium, quod poſteà ex nomine ſuo appellatum fuit condidit, & ibi Monachos, qui ſecundum regulam Beati Benedicti viuerent, conſtituit. Ita etiam S. Adelardus, Abbas Corbeienſis, vt eius acta, quæ habentur apud Suriũ die 2. Iannarij, teſtantur, Caſsinum, quod totius fons Religionis, & origo putabatur, diſciplina Monaſtica imbuendus veniſſe perhibetur. Sed & S. Ludgerus primus Monaſteriẽſis Epiſcopus, vt habent acta eius apud Suriũ to. 2. die 26. Martij, in idem Monaſterium Caſsinenſe peregrinatus, duobus, annis, & ſex menſibus illic permãſit, vt Monaſticis diſciplinis imbutus, in Friſios, & Saxones

S. Diſibodus.

S. Adolardus.

S. Ludgerus.

nes

nes eundem viuendi modum poſteà propagaret. Ecce omnes iſti Sanctiſsimi viri, qui in Germania, & Gallijs floruerunt, neglecto ſpretoq; Floriaco ſibi vicino, Caſsinum, vbi lumen Monaſticæ diſciplinæ radiare videbant, conuolarunt: indeq; accepta huius ſacri inſtituti fulgida luce, vltrà montanas oras eiuſdē coruſco ſplendore illuſtrarunt. Sub Richerio etiā Caſſinenſi Abbate, vt refert Leo Oſtienſis in Chronico M. S. lib.2.cap.78. Stephanus Vngariæ Rex, qui eius gente ad fidem Chriſti conuerſa, multis poſt mortem miraculis claruit, auream Crucem valdè pulchrā S. Patri Benedicto direxit, multis Abbatem efflagitans precibus, vt de fratribus loci huius, aliquos ſibi ad Monaſterium in illis partibus ordinandum mittere non differret. Ad quem Abbas duos de prioribus huius Monaſterij fratribus trāſmiſit. Tempore quoq; Deſiderij Abbatis vt idem Leo lib. 3. cap. 23. narrat: legati ex parte Bareſonis Regis Sardiniæ ad Caſſinenſe venere Cœnobiū: per quos B. Benedicto duo magna, & optima pallia trāſ-

S. Stephanus Vngariæ Rex.

Bareſo Sardiniæ Rex

mittens, orat ſibi aliquot de eodem Cœnobio fratres ad Monaſterium conſtruendum tranſmitti. Cuius precibus annuens venerabilis Pater Deſiderius, deliberato
Sauinus Dalmata. conſilio duodecim de melioribus fratribus miſit. His adde Sauinum nobiliſsimū Dalmatam, qui vt refert Petrus Diaconus lib. 4. Chronici M. S. cap. 80. circa annum Domini milleſimum centeſimum vigeſimum ſecundum, ſub Oderiſio ſecundo Caſsinenſi Abbate, huic Monaſterio duos ſciphos argenteos librarū circiter nouem miſit, rogans Abbatem, vt de fratribus huius Monaſterij in Dalmatiam mitteret, ad Monaſticū ordinem demonſtrandum. Abbas nihil moratus, tres ibidem fratres direxit. Ecce qualiter ex Caſsinenſi Cœnobio, iuxtà reuelationem B. Benedicto factam: lux diſciplinæ Monaſticæ per diuerſas orbis partes effuſa, eſt, & dilatata, oſtendant aliquid ſimile Floriacenſes, & credimus eis.

CAP. XXXXVIII.

Apparet etiam peculiaris, cura, & ſollicitudo S. Patris Benedicti circa ſuū Caſ-

Caſsinenſe Monaſterium, in reſtauratione, & reparatione eiuſdem: ipſe namq; B. Pater Gregorij, & Zachariæ Pontificum animos ad illud reædificandum mouit, & incitauit: cumq; multis poſt ſæculis terremotus cõcuſsione rurſum fuiſſet collapſũ, ad illius erectionem Vrbanum Quintum excitauit, vt vidimus ſupra cap. 4. Ipſe etiam ſanctiſsimus Pater Imperatores, Reges, Principes, alioſq; nobiles, & potentes induxit ad certatim offerendum plurima temporalia bona eidem loco: quatenus Dei famuli ibidem reſidentes commode inſeruire Deo poſſent, ac vacare. Ipſe denique per Chriſti Vicarios Summos Pontifices eundem locum exaltauit, innumeris gratijs, fauoribus, ac priuilegijs ipſum communiendo, ex quibus multa ſuperius attigimus, plura, ne videamur modum excedere, cõſulto prætermittimus: quemadmodum, & miracula multa, quę Sanctiſsimi Patris Benedicti meritis omnipotens Deus operari dignatus eſt, quibus manifeſtè apparet, quanto amore hunc locum Sanctiſsimus Pater Benedictus

ſemper ſit proſequutus, quamquè; ei cordi fuerit eiuſdem cuſtodia, atq; protectio. De quibus legendus Leo Oſtiēſis in Chronico lib. 1. cap. 29. lib. 2. cap. 72. & 73. lib. 3. cap. 37. & 63. Petrus Diaconus lib. 4. cap. 67. Nullo autem modo prætermittendum duxi miraculum quoddam nobiliſsimum, relatum, à B. Petro Damiano in ſermone vigiliarum Sancti Patris Benedicti. Ita inquiens.

Petrus Damiani.

Miraculū nota.

Nuper iuxta præfatum Caſſini Montis Cœnobium, ſatis inſigne miraculum contigit: quod non ab re fieri credimus, ſi ad eius, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, gloriam referamus. A principio ferè menſis Maij vſq; ad quintum diē antè Calendas Auguſti, vix aliquando pluuialis imber tenuiſſimè ſaltē ſqualentia rura rigauerat. Cumque omnis tellus areſceret, & feruētius ſolito mūdus ignei caumatis ardoribus æſtuaret, die, quam prædiximus, ruſticus quidā, vt vberes prouentus ſuis noualibus prouideret, poſtquā ſegetes meſſuit, mox ſtipulas, quæ remanſerant, igne ſuccendit. Repente verò flamma ſæuiens, tota vndique verſus arua corripuit: & non contenta

palea-

palearum culmis, ſiluas, & ſaltus, & quæcunq; fuerant obuia, globis furentibus conflagrauit. Cumq; ad id peruentum eſſet, vt quælibet adiacentia Monaſterio, iam iã penè ignis lingua prolamberet, & non iam dubius loco Sancto interitus immineret: ſubito in aeris vaſtitate, nubecula breuis valdè, & exilis apparuit: moxq; paulatim in ampliora ſeporrigens, ſupra totum ſe vndiq; Monaſterij circuitum dilatauit. Quid verba diutius protrabam? O inenarrabilis ſupernæ virtutis potentia: O nunquam deficiens ſuper electos ſuos diuina cuſtodia. Protinus ſeſe nubes in largiſſima imbriferæ inundationis fluenta reſoluit, adeò, vt non modo voracis incendij flammas extingueret, ſed & omnẽ sãcti loci circuitum profluentium procellarũ copioſis inundationibus irrigaret. Et vt ne quis ambigat, nubem illam meritis B. Benedicti fuiſſe prolatam, atq; ad ſolam sãcti loci huius proceſſiſſe cuſtodiã: cùm tota cæli ſphæra continua vndiq; ſerenitate clareſceret, ſic ſe ad menſuram Monaſterij nubes illa cohibuit, vt vbertim quidẽ Sanctis ædificijs adiacentia queq; profunderet, ad finitima autem, & contigua quælibet loca penitus

tus

tus non ſtillaret. Nam & hi, qui de vicinioribus locis ad protegendum Monaſterium vndique confluebant: mirabantur, ſe ſubito madeſieri, cum eatenus fuerint, non aquis, ſed ſudoribus madefacti. Hucuſque miraculũ, Subnectit autẽ Sanctus vir quę ſequũtur. *Quam firmam ergo fiduciam, fratres mei, in tam ſtrenuo, tamque peruigili poſſumus habere Patrono? Qui enim ſæuientis incendij flammas à vilium lignorum, vel lapidum conflagratione probibuit: quam valido putamus auxilio, animas noſtras ad imaginẽ Dei factas ab æſtuantium vitiorum ardore defendit? Nubem mouit, imbres expreſſit, flammas extinxit, ædificium liberauit. Tu quoque ſi incentiua libidinis in tuis viſceribus æſtuãt, ſi templum tui pectoris inuadere titillando, quaſi lambendo feſtinant, & his forſitan anima tua ariditate tabeſcens, & torpida non reſultat: pete lacbrimarum imbrem, flagita contriti cordis ſalutiferam compunctionem, quæ videlicet duritiem tui ſaxei cordis emolliat, ſicq; mens arida ad proferendas ſegetes boni operis reuireſcat.* Hactenus ex ſermone S. Petri Damiani.

CAP.

C A P. XXXXVIIII.

FLoruit denique Caſſinenſe Monaſterium ſui fundatoris Benedicti meritis, & patrocinio, viris omni ſanctitate, & doctrina præclaris. De quo audi Illuſtriſs. Cardinalem Baronium to. Ann. 9. Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum ſextum: vbi agens de reſtauratione ipſius ſub Petronace, ſic ait. *Mirum dictu, quanta mox ex noua plantatione Petronacis fuerint propagata eo in loco germina Monachorum, & aucta ipſorum examina, inſtar apum, quæ exturgeſcentibus aluearijs prodeuntes, in diuerſa loca ad fœtus multiplicationem volauerint. Sed & illud ſecure abſque trepidatione mendacij, aſſeri iure poteſt, nullum vnquam toto Chriſtiano Orbe, extitiſſe aliquando Monaſterium, ex quo tot viri ſanctitate coſpicui, atque doctrina, tanta numeroſitate ad regimen S. Apoſtolicæ Sedis adſciti fuerint, vt plane dici poſſit, fuiſſe aliquando ſeminarium ſacrorum Antiſtitum, prout quæ ſuo tempore dicturi ſumus, mani-*

Baro. pag. 7.

Baro.to.9. pag.669. *feſte docebunt.* Et anno octingenteſimo decimo nono iſta rurſus. *Vt autem de rebus occidentalibus aliquid attingamus, dicenda ſunt aliqua de Cœnobio Caſſinate, vbi vigebat his temporibus Monaſtica obſeruantia, ex quo tamquã ex fonte fluenta regularis diſciplinæ manabant: cum floreret viris Sanctiſſimis; & inter alios, qui creatus eſt hoc anno eiuſdem cœnobij Abbas, nomine Apollinaris, qui eo miraculorum gratia eſt ſublimatus, vt Lirim amnem ſicco veſtigio pertranſiret. Vt Leo Oſtienſis eſt auctor. Porrò dictum Cœnobium haud pridem Sanctus Adelardus conſobrinus Caroli Magni petijt, diſciplina Monaſtica imbuendus, vt Paſchaſius in rebus ab eo præclarè geſtis, enarrat. Sed & ſub eodem quoque Imperatore Carolo Magno, etiam ille Sanctitatis nomine inſignis primus Monaſterienſis Epiſcopus, Ludgerus nomine, in idem S. Benedicti Monaſterium peregrinatus, illic duobus annis, & ſex menſibus excolendus monaſticis inſtitutis, permanſit: quæ poſtea propagauit in Friſios, atq; Saxones: nam Friſiorum eſt delegatus Apoſtolus. Teſtantur hæc acta* ipſius

Leo lib. 1. cap. 21. Idẽ refert D. Greg. lib. 2. Dialog.

Apud Suriũ die 2. Ianuarij.

ipſius à Monachis Vuerdenſibus quam fideliſ- ſime ſcipta. Licet autem de remotis Orbis partibus ad dictum Cœnobium frequens eſſet acceſſus: illorum tamen, qui ex diuerſis Regionibus Italiæ, tanquã ad Ciuitatem refugij, atque ad aſylum Chriſtianæ libertatis illuc confluere ſolerent, ſeque illic cum ſuis diuitijs Deo offerrent, frequentior erat aduentus: vt ex Leone Oſtienſi, res eiuſdem Monaſterij deſcribente quiſque poterit intelligere. Hæc Cardinalis Baronius in locis ſupracitatis. Ex his aperte colligitur, quam ſit à veritate alienum, quod Boſcus, & Diedericus aſſerunt, ſcilicet, Beatum Patrem Benedictum ſpreuiſſe Caſsinum, cum conſtet euidenter, omnibus ſui ordinis Monaſterijs illud prætuliſſe. Apud Suriũ die 16. Boſc. pag. 255.

CAP. L.

EQuidem quo atttentius lego, & conſidero, quę hiſtorici Floriacenſes apud Boſc. de ſanctiſs. P. Benedicto

referunt, eo minus inuenio, cur B. Pater Caſsinum ſpernere, & Floriacum eligere voluerit. In primis apud Floriacum nullam requiem inuenire potuit Corpus eius, vt ipſe Sanctiſsimus Pater conqueritur

Boſc. pag. 84. apud Aymoinum libr. 1. cap. 2. ſæpius namque hinc inde tranſportatum legitur. Neque etiam condigno, aut condecenti loco fuit repoſitum: quandoquidem ipſius vna cum ſororis eius corpore, primum in vnius ſportulę ſinu concluſerunt:

Pag 6. quaſi non inueniretur in Mundo pannus aliquis, ſi non ſericus, & precioſus, ſaltem purus, & candidus, in quo beata illa oſſa

Pag. 11. 12 inuoluerentur. Floriaci vero delatū Mummolus Abbas illud vili vrna contexit. Deinde Sanctiſsimam Patris, ac Patroni ſui glebam, aureis inuaſatam ciſtellis, naui

Pag. 234. imponunt. Quarto in Abbatis cubiculo per annos viginti manſit incluſum. Denique in arca lignea depicta, quæ nunc eſt

Pag. 235. in theſauraria Floriacenſi deponunt. Præterea ſi de honore, & veneratione Sanctiſſimo Patri ab eis exhibita loquamur, modica, & fere nulla fuit. Coram altari enim

in

in quo Corpus S. Patris Benedicti ſe habe-re gloriabantur, vnica tantum lampas ardebat. Et quod ſine rubore dicere nequeo, vindemiæ tēpore Beatiſsimus Pater ad cuſtodiendas vineas à Monachis deportabatur, atque in tugurio collocabatur. Tandem à Ioanne Fouberto Monacho, & Præpoſito eiuſdem Floriacenſis cœnobij, & à Ioanne à Boſco Benedictino Cæleſtino, idem Beatiſſimus Pater, Cuſtos vetuſtiſſimarum membranarum Aymoini, aliarumque ſcripturarum conſtituitur, immiſſis prædictis membranis in arca, in qua eiuſdem S. Patris oſſa ſe habere credunt; quod factum fuit die 19. Decembris 1604. vt aſſerit Boſcus pag. 237. Pag.100. Pag.107. e 139. Pag.237.

Heu, quo tandem deuoluta eſt Sanctiſſimi Patris Benedicti maieſtas, & amplitudo? Ille qui apud Caſſinum adhuc in terris poſitus, à barbaris, & trucibus adorabatur Regibus; nunc in cœlis reſidens, à ſuis Monachis Floriacenſibus, vilium Aymoini membranarum ſcriniarius efficitur. Poterit profecto Sanctus Pater dicere cū B. Iob. *Ego ille quondam opulentus, repente* Iob.16.

con-

contritus ſum. Dicite mihi, ò Patres venerandi. Eſt ne hoc propenſum ſtudium, & deuotio, quam in B. Patrem Benedictum vos habere iactatis? Itane illius vos filios profitemini? Hunc honorem parenti optimo de vobis adeo benemerito, defertis? Spreuit propter vos Caſſinum, & apud vos elegit permanere, & hanc vicem illi rependitis? Honora Patrem tuum, ait ſcriptura. Si ergò Benedictus Pater veſter eſt, vbi eſt honor eius? Quæ de varijs loculis, & mutationibus S. Patris, deque vna lampade, & alijs circa eum geſtis, quæ apud veſtros leguntur auctores, poſſunt vtcumque colorari, & tolerari: quia forſan paupertate, ſeu alia neceſſitate cogente facta eſſe dicetis. At quis compulit vos, vt arcā, in qua precioſiſſimum theſaurū reliquiarum Sanctiſs. Patris Benedicti vos habere putatis, vetuſtiſſimarum membranarum, Aymoini ſcrinium, ipſumque Sanctiſſimū Patrem Scriniarium faceretis? Exclamare profecto libet, & quod Paulus ſuis Corinthijs olim, nunc mutatis mutandis vobis improperare. *Nunquid domos non ha-*

1.Cor.11.

betis

batis ad manducandum, & bibendum? Aiebat ille, *Aut Eccleſiam Dei contemnitis?* O Floriacenſes: Nunquid ſcrinia non habetis ad recondendas ſcripturas? Aut Beatū Benedictum contemnitis? Magnus profecto contemptus eſt, cariosas Aymoini mēbranas cum oſsibus Sanctiſsimi Benedicti componere, & adæquare, in vna, eademq; arca eas collocando. Hæccine eſt candida, & pretioſa Syndon, qua Beatum illum Patrem ornatis? Hæccine, inquam, eſt aurata illa Diui Benedicti gloria, quam veſter Boſcus effudit, atque diffudit? Cartaceæ, & papyraceæ, non aurea, mihi videtur. Sed age, paululum expendamus, cuius ſint membranæ iſtæ: Nunquid alicuius Apoſtoli? aut Euangeliſtæ, ſiue cuiuſpiam alterius Sancti? Nil minus. Cuius ergo? Aymoini, inquiunt, grauis hiſtorici, & Monachi Floriacenſis. Siccine? Tanti habentur apud vos vnius veſtri Monachi ſcripta, vt cum oſsibus B. Benedicti, in vno, eodemque ſcrinio ea recondatis? Quid ſi iſte eſt Aymoinus ille hiſtoricus Gallus, quem ex ſuis proprijs ſcriptis Card. Baro. docet

Par.2.pag. 254.

Pag.105. ad marg.

Baro.to.10 pag.436.

cuius docet

docet fuiſſe hæreticum iconomachũ? Eundem autem fuiſſe, & ex nomine, & hiſtorici profeſſione, atque ex temporum ratione, probabiliter coniectari licet. Si ergo eſt hæreticus ille, videte qualem iniuriam Diuo Benedicto irrogatis, qui eius membranas, ſiue membra, beatis illius oſſibus coniungitis, & copulatis, parique honore afficitis. Sed eſto, alius ſint Aymoini hæc ſcripta, quid faciunt in arca Diui Benedicti? Nunquid eodem cum ſacris illis oſſibus ſunt adoranda cultu? Abſit. Quid igitur inibi faciunt? Conſeruantur, inquiunt; Numquid alium locum non habetis ad huiuſmodi conſeruanda ſcripta? Sũt apud Caſſinum multa Summorum Pontificum Diplomata, plura Sanctorum virorum ſcripta, quæ ab illis maximo habentur in precio, nullum tamen conſeruant in S. Benedicti tumulo, ſed in archiuo: nullum in ſacrario, ſed in armario: nullum denique in thecis, vbi ſanctorum reconduntur reliquiæ, ſed in ſcrinijs; vbi aliæ conſeruantur ſcripturæ. Gratias itaque ago Domino Deo meo, qui ſuum dilectum Bene-

ctum

ctum non Floriaci voluit requieſcere, ſed Casſini: vbi non fieret ſcripturarum ſcriniarius, aut vinearum cuſtos, ſed ſummo honore ab omnibus coleretur, multiſque lampadibus circum ipſum coruſcantibus, debita cum reuerentia, & veneratione ſeruaretur, optataq; requie corpus eius frueretur, vna cum Scholaſtica ſorore ſua: vt quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.

C A P. L I.

EGo certè credo, arcam illam, in qua B. Patris Benedicti oſſa, quondam vos habuiſſe gloriamini, penitus fuiſſe euacuatam, propntereaque Ioannis à Boſco conſilio, Aymoini membra, ſeu mẽbranas cum alijs ſcriptis in ea condidiſſe, ne videlicet, omnino vacua remaneret. Adducor ad id credendum, ex his, quæ veſtri referunt ſcriptores. Adreualdus lib. de miracul. S. Benedicti cap. 17. aſſerit, Medonem Abbatem Floriacenſem ex corpore precioſisſimi Confeſſoris Chriſti Benedicti reliquias benignisſimè contuliſſe, his Baro. pag. 37.

qui, cum Carolo Manno ad reportanda Caſſinum Sacti Benedicti pignora, Floriã cum aduenerant. Fuiſſe autem aliqua oſ-
Boſc. pag. 289. ſa, confirmat Boſcus in fine ſui Apologiſmi. Aymoinus etiam libr. 2. de miraculis
Pag. 138. S. Benedicti cap. 15. aſſerit, apud Patriciacum Auguſtudunenſis territorij villam, ſuiſſe conſtructam Eccleſiam in honorem Dei, ac glorioſę Virginis Mariæ, ſimulq; egregij Confeſſoris Benedicti: in quam delatæ ſunt à Floriaco reliquiæ S. Patris Benedicti quæ multa operabantur miracula:
Pag. 110. de quibus agit etiam Anonymus Floria-
Pag. 149. cenſis lib. de miraculis S. Patris Benedicti cap. 44. Prætereà Vrbano Papæ Quinto,
Pag. 362. data eſt à Floriacenſibus quarta pars capitis. & vnũ os brachij eiuſdem Sancti, vt aſſerit Boſcus. Similiter, & Monachis S. Dionyſij apud Pariſios, anno 1393. conceſſa fuit portio capitis, & brachij Sanctiſſimi Patris Benedicti. In Monaſterio
Boſc. pag. 365. quoq; Valliſoletano Congregationis Sancti Benedicti Hiſpaniarum in Regno Caſtellæ: præter particulam quandam ab Henrico tertio Caſtellæ, & Legionis Re-

ge dono acceptam, habetur integrum os fœmoris eiuſdem Sancti è Gallijs tranſpor tatum. In ſacro etiam diario ordinis Cluniacenſis, feſtum ſuſceptionis reliquiarum S. Benedicti annotatur, & apud Cluniacenſes colitur. Atque in veteri Athanacen ſi Monaſterio Ciuitatis Lugdunenſis, in antiquo inuentario reliquiarum eiuſdem Monaſterij quæ Caluiniſtarum rabie com buſtæ fuerunt: bis, terue mentio habetur reliquiarum Beatisſimi Benedicti Abbatis in eodem Monaſterio quondam exiſtentium. Carnuti etiam in Monaſterio Sancti Petri vetuſtisſimo, mandibula cum aliquot dentibus S. Benedicti habetur: haud dubiũ, quin è Monaſterio S. Benedicti Floriacenſis. Aliaſque eius reliquias diuerſis Franciæ locis, clarisſimo cultu, incredibilique religione, thecis precioſisſimis recõditas exiſtere, aſſerit Boſcus in principio ſui Apologiſmi. Quibus ſi adiungantur aliæ eiuſdem Sancti Patris reliquiæ, quæ extra Gallias diuerſis in locis haberi dicuntur, quarum non meminit Boſcus: videbit ſtatim lector, arcam illam, in qua Flo-

Pag. 414.

Pag. 382.

riacenſes Corpus Sanctisſimi Patris Benedicti ſe habere putabant, tot reliquiarum eius largitionibus, euacuatam penitus & omnino fuiſſe: Cum omne finitum per ablationem finiti, tandem conſumi neceſſe ſit. Loco autē reliquiarū, Ioannes Foubert Prępoſitus Floriacēſis, & Io: à Boſco vetuſtisſimas mēbranas Aymoini cū plurimis alijs ſcriptis, in eadem arca condiderunt, & ad perpetuam rei memoriam eam hiſtoriam typis excuſam euulgari voluerunt. In tumulo vero, quod ſibi Sanctisſimus Pater adhuc viuens Casſini pręparauit, & in quo ſine dubio pariter cum ſorore ſua Scholaſtica ſepultus fuit, vbi etiam Pontifices Summi, & alij, quos ſupra retulimus, ſuis quiſque temporibus exiſtere ſunt teſtati, integrum Corpus eius adhuc permanere credimus, & fatemur: viſumque à pluribus fuiſſe de menſe Nouembri anni milleſimi quadringenteſimi octuageſimi ſexti, ſuperius cap. 34. docuimus. Inde poſtea nunquam fuiſſe ſublatum, conſtat.

CAP.

CAP. LII.

IAm tandem audiamus Ioannem à Boſco Iudicem in hac controuerſia ſe ipſum conſtituentem, ſententiamque hunc in modum proferentem. *Huic controuerſiæ finis apponatur: ac cineres B. Patris Benedicti apud Caſsinum relictos fuiſſe, quibus ex liberalitate Floriacenſis Abbatis Medonis, aliqua ipſius poſtea oſſa adiuncta fuere: Corpore verò Galliam magno ſuo commodo, atque honore decorari credatur.* Sic ille. Ad quem ego. Hæccine eſt iuſta ſententia? Itane tuopte ingenio vniuerſa diſcernere vis, & iudicare? Non obſiſto iudicio, dummodo oculos à ſalutiferę veritatis aſpectu non auertas, nec animum ab ipſius amore detorqueas. Etenim veritatem indagare ſolerter, inuentamque complecti, periucundum eſt, ac ſaluberrimum: nolle verò amare & ſequi perſpectam, extremæ dementiæ eſt. Non ſtamus iudicio tuo: Nihil profers ſolidæ auctoritatis, nihil neceſſariæ producis argumentationis, qua li-

Boſc. pag. 389.

liquido conſtet, quod aſſeris: cur ergo cre demus tibi? Forte quia tua ſolum magna ſnnt, fortia, præclara, excelſa, mirabilia, atq; irrefragabilia? Aduocaſti certè in tui defenſionem apparatum verborum: ſed quorum numerum computaſti, non pondus: linguam animo preire permiſiſti, contra vetus prouerbiū: decies ad limā priuſquam ſemel ad linguam: Satius enim eſt pedibus, quam lingua labi. Talem ergo ſententiam protuliſti, quā nec Floriacenſes, nec Caſſinenſes approbabunt, recipientue. Nam vtrique, & cineres, & oſſa Sanctisſimi Patris Benedicti ſe habere gloriantur: Caſſinenſes quidem ex Decreto, & auctoritate tot Summorum Pontificū, ſuperius adductorum: quibus adiuncta ſunt miracula, reuelationes, ac multorum hominum diuerſis temporibus, oculata inſpectio: Floriacenſes vero ex hiſtoria ſui Adreualdi, hoc expreſſe aſſerentis cap. 6. de tranſlatione S. Benedicti, & de miraculis eiuſdem cap. 16. & 31. Quem ſequitur Diedericus in libello de illatione S. Benedicti cap. 9. Appellabunt igitur vtriq; ab hac

Boſc. pag. 7. 8. 35. & 61.

Boſc. pag. 128.

hac tua ſententia: Floriacenſes maximè, quibus, cum nihil de Corpore S. Benedicti hac tua ſententia tribueris, totum abſtuliſſe videris: nec enim Floriacum, ſed Galliam Corpore S. Patris Benedicti decorari aſſeruiſti. In quo quidē cōſequenter es loquutus. Etenim reliquias S. Patris Benedicti per diuerſas Galliæ partes ſparſas fuiſſe aſſeruiſti, & ſic arcam illam Floriacenſim vacuam eſſe demonſtraſti: vnde nihil de ipſius Sanctiſſimi Patris Corpore Floriacenſibus aſſignare potuiſti, ſed Galliam eo decorari dixiſti. Vereor ergo nē Floriacenſes Monachi aduerſum te exclament, & dicant, quod cum membranas Aymoini, & alia ſcripta in arca illa, in quā reliquias S. Benedicti ſe habere putabant, tuis incluſiſti manibus, nihil earundem reliquiarum in ea haberi cōſpexiſti: & quod ſecretum hactenus fuerat, tuis ſcriptis omnibus euulgaſti, ac tandem iſto decreto, & ſententia confirmaſti. Caſinenſes etiā iuſtam de te habent conquerendi cauſam; quod cum iuxta Pontificum Diplomata totum B. Benedicti Corpus tribuere illis de-

debuiſſes, dimidium contuliſti. Neſcio profecto quid ad hoc iudicium proferendum mouere, aut impellere te potuit: quãdoquidem auferendo à Caſinenſibus B. Benedicti oſſa, contra Pontificum decreta ſanxiſti; largiendo vero eiſdem cineres, ſcriptores Floriacenſes mendaces eſſe demonſtraſti. Sed ni fallor, mouit te ad cõcedendum Gallis S. Patris Benedicti oſſa, amor, & affectus Patriæ. Condonamus ergo tibi errorem iſtum, dummodo in poſterum veritatis amorem vniuerſis priuatis affectionibus anteponas. Confidimus enim de te, quod ſi non viſis iuribus, & rationibus Monachorum Caſinenſium, eis, hac tua ſententia, & decreto, pluſquam medietatem Corporis S. Patris Benedicti aſſignaſti: lectis his, quæ modò pro Caſinenſibus in lucem prodeunt, adiudicabis, & reliquum.

Nec eſt, cur propterea timeant Galli, ſe tanti Patris deſtituendos patrocinio: nã, vt ait Diuus Gregorius libr. 2. Dialogorũ Gregor. cap. vltimo: Sancti etiam vbi non ſunt prę ſentes corpore, ſi petentium fides exigat,

mira-

miraculis coruſcant: quod probat miraculo ab eodem Sanctiſſimo Patre Benedicto facto: Cum enim inſana quædam mulier, ſpecum, vbi Sanctus Pater prius habitauerat, neſciens fuiſſet ingreſſa, mirabiliter ſanata eſt. Idipſum confirmant Floriacenſes ſcriptores, à te adductos, dum aſſerunt, B. Patem Benedictum multa patraſſe miracula, vbi corporaliter nunquã fuiſſe conſtat. Habeant ergo Galli fidem, & deuotionem erga Sanctiſſimũ Patrem Benedictum, & ita illum apud ſe habebũt, propitiumque, ac fauorabilem in ſuis neceſſitatibus ſentient.

Hoc præterea velim tibi perſuadeas, Caſinenſes Monachos, lectis, ac perlectis vniuerſis, quibus Corpus S. Patris Benedicti quieſcere apud Floriacum probare niteris: adeo in ſua veteri, ac vera ſententia de eiuſdem apud Caſinum exiſtentia confirmatos fuiſſe; vt iam nil minus credant, quam aliquando Floriaci fuiſſe. Talia enim illis viſa ſunt, quæ ad id probandum adducis, vt inde certum ſumpſerint argumentum ad credendum, te hoc idem

cum illis ſentire: ſcripſiſſe vero iſta, ſolum, vt Gallis tuis gratificari midereris. Vtcumque ſe res habeat, ego omnium Caſsinenſium nomine per hæc ſcripta, ſecuros reddo Gallos vniuerſos (Floriacenſes præcipue) q̃ nũquã, nec pretio, nec prece, nec p̃ ſe, nec per interpoſitas perſonas, ligneam iſtã arcam, quam tu, in theſauraria Floriacenſi aſſeris aſſeruari, nec quicquam eorum, quæ intra eam continentur, ſurripere, vel auferre tentabunt. Cum enim certi ſint, reliquias Sanctiſſimi Patris Benedicti non in arca illa, ſed in ſuo Caſsinenſi ſepulchro exiſtere, & conſeruari: ſcripta etiam illa, quæ in dicta conſeruantur arca, ad eos nullo modo pertineant: non eſt, cur Floriacenſes de furto, aut ſurreptione, ſibi à Caſsinenſibus timeant.

Conſilium ergo meum tibi placeat, mi Venerande Pater: agnitam veritatem dilige, & amplectere: vbicumque ſit, & à quocumque dicatur, eam venerare, exoſculare, & cole: Sic enim exaltabit te, ac proteget. Caue ne quando illam ſcienter oppugnes, quia impugnabit te, cumque

om-

omnibus ſit fortior, ad terram proſternet, & allidet te, & eris in conculcationem. Ama vinci à veritate, ne vincaris à falſitate. Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, per aduentum ipſius, & Regnum eius, me non iſta ſcripſiſſe, vt tecum contenderem (ſcio namque Paulum inter opera carnis, quæ qui agunt, Regnum Dei non poſſidebunt, enumeraſſe contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones) ſed ſolum, vt veritatem hanc de exiſtentia Corporis S. Benedicti apud Caſinum, quam tuis ſcriptis profligare, & ſubuertere niſus es, propugnarem, atque defenderem. Tranquillo igitur eſto animo, quandoquidem inueſtigandæ veritati, non carpendis, aut lacerandis mutuo nobis, hæc ipſa diſputatio ſumpta eſt. Noli pugnaci altercatione contendere: noli floribus ſpinas, frondes fructibus, falſitatem veritati præferre: permitte, vt locum ſuum obtineat, veritas, iuſque ſuum vnicuique tribuatur. Si Corpus Sancti Patris Be- Galat. 5.

nedicti eſt Caſſini; vt vere eſt; nullis vel auctoritatibus, vel rationibus efficere poteris, vt ſit alibi? Imponere alicui poteris, ſed vt ſit, quemadmodum dicis, efficere valebis nunquam :-

*

DE TRANSLATIONE SANCTISSSIMI P. N. BENEDICTI.

AVCTORE R. P. MATTHAEO LAVRETO Monacho Benedictino & Abbate Sancti Saluatoris de Caſtellis.

CAP. I.

PROPOSVIMVS initio præcedentis libri queſtionem bimembrẽ, cuius primam partem (an ſcilicet Corpus Sancti Benedicti vere, & realiter Caſsini exiſtat) diſcuſsimus, & abſoluimus. Aggredimur nunc ſecundam, vtrum videlicet ſacrum illud Corpus è Caſsinenſi ſepulchro aliquando fuerit ablatum, & ad Floriacenſe Monaſterium in Gallias deportatum. Hæc autem de

Tranſ-

Translatione S.Benedicti diſputatio ade o difficilis,& intricata viſa eſt ſapientiſſimo Cardinali Baronio, vt tom. Annal.8. Ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum quartum, de ea iſta pronunciauerit. *Sciendum eſt*,inquit,*quod Aygulphi acta docent, quibus, & alij complures ſcriptores ad ſtipulantur: ipſum miſſum à Mummolo Abbate Floriacenſi Caſſinum, ad auferendas inde ſacras reliquias S.Benedicti Abbatis: Addunt alij, & Scholaſticæ ſororis eius à Cænomannis, vel Aurelianenſibus fuiſſe ſublatas. Id cum plerique tradant, haud conſentiunt tempore, cùm alij ad Martini Papæ Pontificatum,alij ad Deodati tempora referant. At alij ſunt innumeri, qui contradicunt: adeo vt etiam Diplomata afferant Romanorum Pontificum id teſtantia: cuius probationis genere, nec caret pars aduerſa. Sed refugit animus tã denſum controuerſiæ huius ſpinetum adire, quod horret, vel è longè ſpectare.* Sic Baronius. Ex quibus plane apparet, quam operoſum ſit, atque difficile, litem hanc dirimere, quam talis, ac tantus vir pene inextricabilem eſſe iudicauit. Nos ergo, nõ

Baro.pag. pag.491.

Apud Surium die 3 Septemb.

Alij etiam ad Vitaliani, Agathonis Siſinnij tempora referũt.

no-

noſtris viribus, ingenio, aut prudentia innixi, ſed Dei optimi maximi ope, adiutorioque confiſi, horridũ hoc ſpinetum adire: ſpinaſque, & vepres illius, veritatis falce reſecare tentabimus: dubia, & difficultates, quæ in hac perplexa quæſtione ſe offerunt, ita explanare, & euacuare conabimur: vt tandem appareat, Corpora Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ apud Caſſinum Montem ſemper extitiſſe, nec inde in Gallias aliquando tranſlata fuiſſe. Hanc autem veritatem, non putet lector, nos intendere probare mathematicis demõſtrationibus, aut philoſophicis & ſcientificis argumentis, cum nulla huiuſmodi in ſimili materia exiſtant: ſed tantum rationibus iuxta ſubiectam materiam congruentibus, ac moraliter ita concludentibus: vt quilibet diſcretus, & prudens lector, qui non affectu, ſed ratione delectetur, atque trahatur, illis plenam fidem præbeat, & aſſenſum.

C A P. II.

PRincipio ſupponendum eſt (quod à nemine-

mine mediocriter docto in dubium reu o- cari iure poteſt) pleroſq; ſcriptores multa falſa, & fabuloſa, multa ficta, & commentitia pro veris, & indubitatis hiſtorijs obtruſiſſe, & venditaſſe, magna cum iactura, ac detrimento hiſtoricæ veritatis, & fidei; Baro.to.io pag 100. Quod ſapientisſimus, & grauisſimus hiſtoricus Cardinalis Baronius tom. Annal. 10; ad annum octingenteſimum quinquageſimum tertium, deplorat his verbis. *Fœlix profecto eſſet hiſtoriæ curſus, ſi abſque obice fabularum, ſincera tantum ferri veritati daretur; quæ vbi ſemel, ut Zizania inter triticum ſeminata, fixis radicibus, tritici mentita ſpecie, altiori cumulo conſurgunt, ſicut triticum meſſoris æqua falce metantur, & cum frumento in horrea recondantur: & mixta tritico, tritici iam nomine decorata, atq; æquo precio, eademque menſura cum tritico venundantur. Ita fabularum abolito nomine, receptæ ſemel tranſeat in hiſtoriam, ut opus ſit magno cribrario, qui magno labore, à veris falſa, & fabulas ſegreget ab hiſtorijs. Non deſunt de his exempla: Nam fabula de collapſo Romæ Pacis templo tempore Chriſti ortus, quod*

non-

nondum fuerat ædificatum, ſemel aſſertâ, multiplicium haud vulgarium fuit ſcriptorum auctoritate firmata. De anima Traiani precibus Sancti Gregorij ab inferis reuocata commentum ſemel creditum, etiam diſertisſimos habuit aſſertores, imò etiam defenſores. Nonne hactenus fabula illa, vt hiſtoria lecta eſt, de Ciriaco Papa Roma Coloniam comitante Sanctam Vrſulam cum Virginibus vndecim millibus: cum tamen nec per ſomnium quidem eius nominis Pontifex ſederit in Sede Petri? De ſeptem dormientibus ſomno tentis annos prope ducentos, quid dicam? Tam à Græcis in Oriente, quam à latinis in Occidente hiſtoriã lectã atq; receptam? De Silueſtro Papa Secundo, quod per magiam Pontificatum adeptus fuerit, atque dilaceratus in obitu à Diabolo? De obitu Adriani per muſcam illato, quid addam? De fabularum officina Turpini, quot iam ex eis in hiſtoriam tranſierunt, & fidem ſibi plenisſimam conciliarunt? Taceo de plurimis alijs, quæ vel à nobis ſuperioribus tomis ſunt confutatæ, vel erunt inferius confutandæ.
Hæc Baronius occaſione illius inanisſimæ, leuisſimę, & quæ ſua falſitate omnes

alias ſuperat, fabulę, de Ioanna fœmina in ſummum Pontificem euecta. Quibus omnibus adiungenda mihi videtur fabuloſa de tranſlatione Corporis Sanctiſs. Patris Benedicti narratio. Certè nec plures, nec maioris authoritatis ſunt, qui de ea ſcribunt, quam qui ſuperiores fabulas narrant: nec ſolidioribus fundamentis, aut firmioribus rationibus nititur hæc de tranſlatione Sanctiſs. Patris Benedicti conficta hiſtoria, quàm cæteræ omnes, quas ſupra ex Baronio memorauimus. Vnde non immeritò innumeri propemodum huic tranſlationi contradicunt, validis ſuffulti rationibus, & authoritatibus ſuperiori libro adductis, & infra plenius adducendis.

CAP. III.

SCriptores, qui de Sancti Patris Benedicti Tranſlatione narrationem texuerunt, bipartiti ſunt, atque in duas claſſes diuiſi: quidam enim illorum aſſerunt, fuiſſe Floriaci tranſlatum, inde verò nunquam fuiſſe Caſſini relatum: alij

alij verò cum primum concedant, poſtremum penitus inficiantur; affirmantes, Corpus S. Benedicti Zachariæ Papæ iuſſu è Floriacenſi Cœnobio ad ſuum Caſſinenſe reportatum fuiſſe, opera Caroli Manni Caſſinenſis Monachi, ac Pipini Francorum Regis fratris. Quorum aſſertiones abunde ſatis ex his, quæ ſuperiori libro dicta ſunt, remanent confutatæ. Oſtendimus enim primum B. Patrem Benedictũ vna cum ſorore ſua Scholaſtica Caſſini fuiſſe ſepultum, in quo neminem habemus contradicentem. Probauimus præterea, à tempore Zachariæ Papæ primi, qui fuit electus Pontifex anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, vſque ad Iulium Secundum, qui ſedit anno milleſimo quingenteſimo quarto, Corpora Sanctiſſimi Patris Benedicti Virginiſque, ac ſororis eius Scholaſticæ Caſſini extitiſſe; demonſtrauimuſque, eadem ſacra Corpora, hoc temporis decurſu, ter apud Caſſinum fuiſſe conſpecta. Primum ſub prędicto Zacharia anno Domini 748. Deindę ſub Alexandro Secundo anno milleſimo

ſeptuageſimo primo: quo tempore inuenta fuere à Deſiderio Abbate Caſſinenſi: ac tandem tertio ſub Innocentio Octauo, anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto: quo tempore prædicta ſacra Corpora fuere à Cardinali Ioanne ab Aragonia Caſſinenſis Cœnobij Abbate Commendatario diſcooperta, ſicque per biennium vſque ad annum milleſimum quadringenteſimum octuageſimum ſextum permanſerunt. Hæc omnia cum veriſſima ſint, & à nobis ſuperius ſatis, ſuperque probata: Sequitur neceſſariò, falſa eſſe, quæ de B. Bendicti, & ſororis eius tranſlatione à diuerſis ſcriptoribus tradita circunferuntur. Et quidem contra eos, qui pertinaciter aſſerere contendunt, Corpus S. Benedicti apud Floriacum adhuc exiſtere, militant vniuerſa, quæ ſuperiori libro, ad probandam eiuſdem apud Caſſinum exiſtentiam, ſunt adducta. Contra eos vero, qui affirmant, Caſſini fuiſſe reductum: faciunt Zachariæ Pontificis Diploma, qui eo die, quo Eccleſiam Caſſinenſem à Petronace reſtauratam, dedicauit,

uit, vidit ibi pignora Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ: Et Pauli Diaconi teſtimonium, qui multo ante, ſcilicet, quando Petronax Caſsinum ad reparandum Cœnobium aduenit, aſſerit fuiſſe ibi Sanctiſs. Patris Benedicti Corpus. Quibus temporibus iuxta hos ſcriptores, Corpus S. Benedicti needum fuerat Caſsini reductum. Aduerſatur inſuper huic tranſlationi Vrbani Secundi Bulla à Clemente Quarto confirmata, in qua in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub anathematis pœna præcipitur vniuerſis, ne falſam celebrent S. Benedicti tranſlationem. His addimus peculiare præceptum Monachis Floriacenſibus à Paſchale Secundo Pontifice factum, ne vlterius falſam S. Patris Benedicti tranſlationem celebrare præſumerent: Cur autem, quaue occaſione id interdixerit Pontifex, refert Petrus Diaconus illius tẽporis ſcriptor, lib. 4. Chron. Caſsin. M. S. ca. 29. Cuius verba huc fideliter tranſcripta, ſic habent. *Pro cauſis Eccleſiaſticis Galliam ingreſſus* (loquitur de Paſchali Secundo) *venit ad Floriacenſe Monaſterium B. Patris*

L.b.6.c.40

Pet. Diac.

nomine conſecratum. Agebatur porrò ab illis tunc falſiſſimæ tranſlationis B. Benedicti ſolemnitas. At Pontifex eandem Tranſlationem falſam eſſe confirmans, non feſtiuitatis, ſed diei officium, celebrare cum Cardinalibus Italicis cæpit. Monachi vero ſupradicti loci cum nonnullis Epiſcopis, & Cardinalibus Gallicanis tranſlationem celebrare incipientibus, Papa orationem fudit ad Dominum, obnixè expoſtulans, vt de eadem re veritatis indicium ſibi oſtendere dignaretur. Celebrantibus autem illis nocturnalem Synaxim, tantus ſtupor, & hebetudo mentis eos inuaſit, vt omnino quid dicerent ignorarent. Attoniti autem tanto miraculo, regulare officium decantare inoffenſe cęperunt. Mox autem vt tranſlationis cantum celebrare diſponebant, horrore ſimul, & ſtupore replebantur. Quod prudentiſſimus Pontifex aduertens, glorificare cępit, ac benedicere Deum, & Benedictum famulum eius. Facto autem mane, Abbatem ad ſe, & Monaſterij Priores conuocans, præcepit, vt Altare de loco tolleretur, quatenus omnes patenter agnoſcerent, vtrumnam vera eſſet, necne Tranſlatio illa; nolle vlterius aliquos

Miraculū not.

quos

quos de Corpore B. Benedicti illorum ambagibus decipi, quod ipſe temporibus Papæ Alexandri in Monaſterio Caſſinenſi inuentum eſſe certisſimè nouerat. Illi autem proſtrati pedibus eius rogare cœperunt, ne Altare effodere præciperet, ne Monaſterium deſtrueret: ſe nihil certi de Corpore B. Benedicti niſi famã tãtum à maioribus ſuis accepiſſe. Si reliquiæ non inuenirentur, ſcirent certisſimè, Monaſterium deſtruendum, & poſſeſsiones à quibuſque diripiendas. Tunc Papa illorum precibus inclinatus, conticuit, interdicens omnino, ac ex parte Sedis Apoſtolicæ præcipiens, vt vlterius eandem falſisſimam tranſlationem celebrare nequaquam præſumerent. Idem Pontifex Apoſtolicus ordinatis in Gallijs negotijs ſuis, Romã reuerſus eſt. Hæc Petrus vbi ſup.

Reijcit Ioannes à Boſco hanc hiſtoriam in ſuo Apologiſmo, ex eo quod adeo celebres res, ab alijs auctoribus non fuiſſent obuolutæ ſilentio, quarum ne vnus omnino meminit. Subijcitque verba ſequentia. *Nam purum putum mendacium eſt, Floriacenſes nequiuiſſe vlla ſcripta Pontifici proferre: qui iam Leonis Septimi, & aliorum bullas* Boſc. pag. 388.

acce-

acceperant. Arguit ab auctoritate negatiuè. Alij non ſcripſerunt, ergo non fuit: Quem argumentandi modum nullius eſſe roboris, ac momenti, præcedenti lib. oſtẽſum eſt. Adde quod Galli, qui huic rei præſentes fuerunt, noluerunt contra ſeipſos iſta deſcribere: Exteri vero alij, ideo forte non ſcripſerunt, quia res iſta parum, aut nihil ipſos tangebat. Scripſit verò Petrus tanquam rem ad ſui Monaſterij Caſſinenſis honorem pertinentem. Et quidem mirum valde eſt per tot annos neminem Petro Diacono in hoc contradixiſſe, niſi modo vnus Ioannes à Boſco. Qui cum nulla ſe fultum ratione ad impugnandum Petrum conſpiceret, ad contumelioſa, ac religioſo viro indigna verba recurſum habuit, dicens, *Nam purum putum mendacium eſt*; quod quidem pœdagogis, atque grammatulis eleganter; viris autem prudentibus, indecorè, ac immodeſtè, dictũ videbitur. Profecto eadem verba poſſem ego in illum retorquere: & qua facilitate, Petrum mentiri aſſerit, Boſcum mendacij arguere, affirmareque nequiuiſſe Floria-
censes

cenſes ſcripta illa Paſchali Pontifici proferre: quippe qui tunc temporis nullas de hac re Summorum Pontificum bullas acceperant, nec poſtea vnquam acceperũt. Quamuis enim Leo Septimus, & Alexander Secundus (quorum bullas affert Boſcus in fauorem Floriacenſium) ante Paſchalem II. ſederint: tamen bullas præfatas multò poſt fuiſſe confictas, rationibus ſuperiori libro aduerſus eas adductis, cenſemus: quibus nunc addimus iſtam, vt ſcilicet, hiſtoriam hanc Paſchalis Secundi à Petro Diacono fideliter relatam, labefactare, conuellere, atque falſitatis arguere, illarum bullarum prętextu, Floriacenſes poſſent. At vero huiuſmodi Salmoneæ bullæ, aduerſus firmiſſimam veritatis turrim, nihil omnino efficere vnquã poterũt. Boſc. pag. 240.

CAP. IIII.

ESt adhuc aliud fortiſſimum argumentum ad ſubuertendam huiuſmodi prętenſam D. Benedicti Trãſlationem: authoritas nempe, ac iudicium

Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſi non directe, ſaltem indirecte, eam reprobaſſe viſa eſt: dum à ſuo Martyrologio reformato (quo ſolo vti poſſumus in Diuinis officijs) hanc eandem tranſlationem excluſit, atque reiecit. Pro quo notandum: Quod Gregorius Tertius decimus Pontifex Summus, quaſdam litteras Apoſtolicas eidem Martyrologio præfixit ſub Datum Romę apud Sanctum Pętrum, die decimaquarta Ianuarij anni 1584. In quibus expreſſe iubet omnibus Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, cæteriſque Eccleſijs, Monaſterijs, Cōuentibus, Ordinibus, ſiue ſecularibus, ſiue regularibus quibuſcunque præfectis: vt in peragendo in Choro officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum noſtro vtantur, nulla re addita, mutata, vel adempta. Eadem etiã ijs, qui in horis eccleſiaſticis priuatim Martyrologio vti voluerint (quod quidẽ magnopere cuperemus, vt omnes facere vellent) mandamus: omnibuſque aliorum Martyrologiorũ omnium publice, priuatimq; in eccleſiaſticis horis vſum interdi-

cimus

cimus. Hæc ibi Pontifex. Cum igitur feſtum Tranſlaationis S. Benedicti ſub quinto Idus Iulij, in diuerſis Martyrologijs habeatur, imo & in Romanum Martyrologium, quondam irrepſiſſet: attente conſiderandum eſt, quænam potuerit eſſe cauſa, vt retentis pleriſque alijs Sanctorum trāſlationibus in Martyrologio Romano, præfati Pōtificis iuſſu recognito, ac reſtaurato, atque ad Eccleſiaſticę hiſtoriæ veritatem reſtituto, ac vniuerſis Chriſtiani Orbis Eccleſijs legendum tradito, expuncta fuerit, atq; reiecta B. Benedicti adeo decantata tranſlatio, interdictumq; omninò, ne in Diuinis officijs cum aliorū Sanctorum tranſlationibus legatur. Nulla profecto alia poteſt reddi cauſa: niſi quia Patres Martyrologio corrigendo, ac reformando præfecti, re diligenter excuſſa, & examinata, vna cum Summo Pontifice, tranſlationem hanc, tanquā apochrypham, falſam, & commentitiam reſpuerunt, vel ſaltem (vt mitius agam) dubiæ, incertæq; omnino fidei cenſuerunt. Certe Cardinalis Baronius tom. 10. pag. 945. Baro. to. 10 pag. 945.

L l 2 ad

ad finem: Satisfacere volens quibuſdam viris doctisſimis, indigne ferentibus Marcellini Papæ integritatem, male traduci commentitijs actis illis, nullius ponderis exiſtentibus: ſimulque conquerentibus de Martyrologio, atque breuiario Romano, quod iſta in Eccleſia recitanda contineāt: ita reſpondet: *Sed ſciant, velim Romanam Eccleſiam antiquitatis tenacisſimam, quæ ante octingentos annos ita publice lecta reperijt, haud adeo facile conuellenda, quamuis ſibi valde moleſta, putauit. Cæterum eandem ipſam Romanam Eccleſiam; non ſicut Euangelium (quod Gelaſius monuit) legere conſueuiſſe, vel legenda proponere quælibet Sanctorum acta, ſed potius ea cuncta, Apoſtolica illa lance libranda relinquere: omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Hæc Baronius. Cum ergo Eccleſia Romana tranſlationem S. Benedicti, quæ prius in Martyrologijs legebatur, à ſuo reformato Martyrologio expunxerit, apparet, ipſam nullam illi fidem adhibere, nec aliquam habere probabilitatem, iudicare. Potuiſſet enim (vt de geſtis Marcellini ait Cardin. Baronius) illam in Martyro-

tyrologio ponere, nobis autem probandam relinquere. Verum cum eam penitus repulerit, repellendam eſſe à nobis, euidenter inſinuauit, & docuit. Ego certè tanquam verus Eccleſiæ filius, quæ ipſa probat, approbo; quæ ipſa reſpuit, reſpuo: tranſlationem S. Benedicti non admittit, nec ego admitto. Expuncta vero, ac reiecta ex Martyrologio Romano, ab Eccleſia approbato, atque recepto B. Benedicti tranſlatione, ipſo facto præiudicatum eſt contrariæ opinioni: abolitaque Adreualdi, & cæterorum omnium, qui tranſlationem hanc aſſeruerunt, ſententia.

Cum Eccleſia Romana omniũ Eccleſiarũ Matre, & Magiſtra conſentiũt in primis vniuerſæ Eccleſiæ ſeculariũ clericorũ, in quibus Diuinum officium iuxta ritum Breuiarij Romani, nuper reformati, celebratur, atque perſoluitur. Omnes præterea religiones, & ordines, quæ ſub Diui Benedicti regula non militant. Ex his autem Congregationibus, quæ inſtitutum Benedictinum profitentur, hanc tranſlationem non agnoſcunt modo Camaldu-

len-

lenſis, Vallis vmbroſæ, Cęleſtina, Montis Olìueti, & Silueſtrina. Ex Congregationibus autem Monachorũ nigrorum, quæ propriè S. Benedicti nuncupantur, illam non celebrant, Caſſinenſis in Italia, Burſfeldenſis in Germania, & Aragonenſis in Hiſpania. In Gallijs vero (vel ipſo Ianne à Boſco teſtante) integræ nonnullæ Congregationes eiuſdem B. Patris ſodalitio aſcriptæ è ſacris ſuis Diarijs expunxerunt tranſlationis eius feſtum, tanto olim decore, tamque feſtiuis gaudijs apud eas celebrari conſuetum. Quas cum propterea laudare debuiſſet, immeritò arguit, & reprehendit Boſcus. Sed quis poterit accuſare Monachos illos, qui ſimul Eccleſiam Romanam, cuius veſtigia ſunt ſequuti, nõ accuſet? Quis condemnabit eos, qui illam non condemnet? Certè ſi aliqua culpa eſt, Eccleſię ipſius eſt: ſi error, ipſa exemplum præbuit errandi, quæ ex ſuo Martyrologio tranſlationem iſtam repulit, & ex punxit. Sed abſit, vt hanc, vel illos erraſſe dicamus, ſed Ioannem à Boſco imprudenter, vel impudenter loquutum fuiſſe ar-

Boſc. pag. 382.

Boſc. pag. 383. Ad finem.

arbitrámur. Quemadmodum etiam,dum in ſui Apologiſmo ait. *Et quidem quod aliquando tranſlatum fuerit, ſole clarius eſt: conſentientibus, atque aſſerentibus id vna voce omnibus penitus auctoribus Italis, & Caſſinenſibus ipſis, Germanis, Hiſpanis: denique toto orbe Chriſtiano id fatente, atque confirmante.* Hæc quidem Boſcus, ſed glorianter nimis, valdeque mendaciter. Nam vt vidimus, neq; Romana Eccleſia nec aliæ propemodum innumeræ, quas ſupra cõmemorauimus,hanc recipiunt tranſlationem. Conſenſus ergo iſte totius Orbis Chriſtiani, aduerſus tranſlationem iſtam vere ſtat, quantumuis Boſcus aliter aſſerat. Si autem verum eſt,quod ipſe ibidem ait,conſenſum hunc tot Eccleſiarum,maxime accedente Eccleſiæ Romanæ aſſenſu, æquipollere Concilij Vniuerſalis definitioni, actum eſt de cauſa iſta, & Caſſinenſibus adiudicata eſt, cum habeant pro ſe tot Eccleſiarum conſenſum, vna cum Eccleſiæ Romanæ aſſenſu.

CAP.

CAP. V.

Boſc. pag. 387. SEd opponit nobis Ioannes à Boſco Eccleſiam Mediolanenſem ab inclyto Pontifice Borromeo Cardinali in antiquum nitorem reſtitutam, quam aſſerit, tranſlationis S. Benedicti feſtum etiam nunc celebrare: necnon omnes Hiſpanicas Eccleſias, atque in Germania Curienſem, quæ totius rei veritatem expendentes, exploſis Salmoneis Caſſinatũ bullis; feſtum huiuſmodi conſtanter colunt, ac venerantur.

Boſc. pag. 382.

Quod attinet ad nobiliſſimam Mediolanenſem Eccleſiam, fallit, aut fallitur Ioannes à Boſco, dum aſſerit, illam huiuſmodi tranſlationem hodie celebrare. Obſeruat quidem Eccleſia Mediolanenſis, ſiue Ambroſiana ſtatutum Concilij Laodicenſis, in cuius cap. 51. cauetur, ne martyrum natilitia in quadrageſima celebrentur. Vbi quamuis de ſolis martyribus fiat mentio: de quorumcumque Sanctorum feſtis Canonem illum loqui, Patres intelxerunt.

Concilium Loadic.

xerunt. Vnde in Concilio Toletano deci- mo ſancitum eſt, vt feſtum Annunciatio- nis B. Virginis Mariæ, quod fere ſemper in quadrageſimam incidit, in decimum quintum calendarum Ianuariarum annua tim celebrandum transferretur: quod ha- ctenus in Hiſpania obſeruatur: in Ambro ſiana verò Eccleſia dominica proxima ante Natale celebratur, vt docet Radul- phus Decanus Tungrenſis in libro de Ca- nonum obſeruatione propoſitione deci- ma ſexta. Similiter feſta Sanctorum Gre- gorij, & Ambroſij, antiquitus ad dies or- dinationis eorundem tranſ lata fuerunt: Gregorij, ſcilicet, ad diem tertium ſep- tembris, Ambroſij verò ad diem ſeptimum decembris, vbi etiam nunc celebratur: & S. Patris Benedicti feſtum, ad quintũ Idus Iulij, quo die illud celebrat etiam nũc Ec- cleſia Mediolanenſis. Cũ ergo aliqui aſſe- rũt, Eccleſiã Mediolanenſem celebrare fe- ſtum tranſlationis S. Benedicti intelligen- di ſunt de tranſlatione feſti non de tranſ- latione Corporis. Cũ enim de menſe Mar- tio, quo tempore Eccleſia Romana San-

Concilium Tolet.

cti Benedicti feſtum colit, Eccleſia Ambroſiana illud non celebret, ſed ad quintum Idus Iulij, quo die à quibuſdam feſtũ tranſlationis eiuſdem celebrabatur, tranſtulerit: arbitrati ſunt quidam, Eccleſiam Mediolanenſem celebrare feſtum tranſlationis S. Benedicti, cum reuera tranſitum, ſeu natale eiuſdem tunc celebret. Vnicum namque feſtum S. Benedicti celebrat in anno: nec eſt dicendum, omiſſo natali eius feſto, tranſlationem ſolummodo celebrare. Hoc ita eſſe, docet apertè Radulphus vbi ſupra. Poſtquam enim egit de tranſlatione feſti Annunciationis, Gregorij, & Ambroſij, hæc de feſto S. Benedicti ſubnectit. *Et Benedictus ad diem tranſlationis ſuæ de Menſe Iulio, ſed poſtea Annunciatione in Romana Eccleſia ad locum ſuum redeunte, ſimiliter & alij apud nos redierunt. Et exinde retenta eſt Tranſlatio Sancti Benedicti.* Hæc ille. Vbi nota verbum illud, exinde, quaſi dicat; ex reditu feſti S. Benedicti ad locum ſuum de menſe Martio, ortum eſt, ac retentum feſtum tranſlationis eiuſdem de menſe Iulio: ita vt duo feſta

Radulph.

eiuſ-

eiuſdem Sancti ex tunc cęperint celebrari, vnum de menſe Martio, cum Eccleſia vniuerſali, alterum de menſe Iulio à quibuſdam Eccleſijs ob deuotionem tāti Patris, illud vocabant feſtum tranſitus, illud vero tranſlationis. Sicut & in Hiſpania feſtum Annunciationis cum Eccleſia vniuerſali celebratur die vigeſimaquinta Martij; atque ſub nomine expectationis B. Virginis Mariæ, celebratur rurſus die decima octaua menſis Decembris.

Probatur præterea, quod Eccleſia Mediolanenſis celebret quinto Idus Iulij tranſitum S. Benedicti ex officio, quod eo die in prædicta Eccleſia recitatur, in quo nihil penitus de Tranſlatione, ſicut nec in calendario, aut titulo officij ita prænotatur, ſed tantum ſolemnitas S. Benedicti. Ad Matutinum autem iuxta ritum recitandi officium ex præſcripto breuiarij Ambroſiani, ſequentem lectionem, quæ eſt in ordine tertia, de B. Benedicto legunt.

Benedictus Nurſiæ nobili familia natus, Romæ liberalibus artibus eruditus, pietatis ſtudio flagrans, rebus huius ſæculi contemptis, Lectio de S. P. Benedicto.

 ad

ad locum Sublacum profectus, in ſpeluncam altiſſimam ſe abdidit: vbi vni ſolum Monacho, cuius opera ad vitæ neceſſitatem vtebatur, notus, triennio religioſè vixit, ſuperatis diaboli inſidijs. Fama eius ſanctitatis cum in omnes partes erupiſſet, inuitus Monaſterio quod propè aberat, ab illius Monachis præficitur: quorum & obiurgata viuendi licentia, & cognita conſpiratione, maluit in ſolitudinem ſe recipere, quàm cum illis diutius eſſe. At verò cum magnus numerus diſcipulorum ad eum quotidie conueniret, Monaſteria duodecim ædificauit, ſanctiſque inſtitutis communiuit. Poſtea Caſſinum migrauit: vbi in dies magis Diuina gratia auctus, cum multa prophetico ſpiritu ventura prædixit, tum plura miracula edidit. Scripſit autem luculente, ſancteque regulam Monachorum: quàm à S. Gregorio primo Pontifice laudatam, & ſeruatam, omnes occidentales Monachi amplexi ſunt. Omni igitur meritorum laude clarus, demum ad præmium abijt in Cælum.

Nota hæc de B. Gregorio.

Lectio hæc deſumpta eſt ex Breuiario Ambroſiano, à Petro Galeſinio Prothonotario Apoſtolico, de mandato beatæ

me-

memoriæ Cardin. Caroli Borromei Mediolanenſis Archiepiſcopi reſtaurato, impreſſoque anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto. Vbi, vt apparet, nihil penitus de Sancti Benedicti tranſlatione, ſed tantum de eius fœlici tranſitu, quo migrauit in cęlum, agitur. Non ergo eſt, cur Ioannes à Boſco nobis opponat Eccleſiæ Mediolanenſis auctoritatem (quæ maxima eſt) quaſi celebrãtis feſtum tranſlationis S. Benedicti, cum multo aliter ſe res habeat, vt ex prædictis liquido conſtat.

CAP. VI.

OBijciet fortè quiſpiam aduerſus ea, quæ præcedenti capite diximus, pręfati Petri Galeſinij auctoritatem; qui in ſuo Martyrologio, quinto Idus Iulij aſsignat Diui Benedicti tranſlationem cum ſequenti annotatione. Galeſinij Martyrol.

Quam tranſlationem multæ Eccleſiæ celebrant, vtpote Mediolanenſis, Cordubenſis, Conſtantienſis, & Curienſis, aliæque item, vt ex earum tabulis animaduertimus. Porrò duæ

illius

illius trãſlationes extiterunt, ambæq; litterarum monimentis proditæ à Theodorico Theutonico ordinis Benedictini Prioris tranſlationis meminerunt Sigebertus in Chronico; Lazierdus Celeſtinus, Boſſius, Martinus Polonus, & alij præterea, quos ſilentio præterimus, ne rem longius faciamus, quam oportet. Verum enim verò Leo Monachus ſcriptor annalium Montis Caſsini, non deſtitit locupletiſsimis teſtimonijs, & obſignatis Summorum Pontificum tabulis, alijſque argumentis contra diſſerere, pleneque affirmare, illius Sanctiſsimi Abbatis Corpus in Monaſterio Caſinenſi reconditum, inde tranſlatum non eſſe. Non deſunt tamen, vt Volaterranus, cæterique qui ſcribunt inde aliquando ad Floriacum Monaſterium aſportatum, deinde aliquot poſt annis Caſsinum iterum tranſlatum eſſe. Atque hæc quidem poſterior tranſlatio eſt, quam meminimus. Hæc Galeſinius. Cuius teſtimonio videtur eſſe ſtandum, cum ipſe fuerit Eccleſiæ Mediolanenſis alumnus, probeque nouerit, celebritates, & ritus eiuſdem. Nihilominus nobis videtur, his Galeſinij notamentis noſtram ſententiam ſtabiliri,

con-

contrariam verò penitus conuelli. Pro quo notandum primo, Martyrologium Galeſinij editum fuiſſe antequam Romanum Martyrologium à Gregorio XIII. reſtauratum, publicaretur; atque vniuerſis Eccleſijs legendum proponeretur. Inuenitur enim illud Galeſinij impreſſum Venetijs anno 1578. Romanum verò reformatum, promulgatum fuit ab eodem Gregorio anno 1584. vt patet ex litteris Apoſtolicis eidē Martyrologio præfixis. Hinc apparet, Galeſinij Martyrologium, quamuis ab ipſo Romanū appelletur, nō eſſe Romanū illud in Diuinis officijs à Gregor. legi iuſſum. Secundo notandū, Martyrologium Galeſinij oblatum quidem fuiſſe Gregorio XIII. vt ex epiſtola dedicatoria ad eundem Pontificem patet: qui quamuis facultatem illud imprimendi conceſſerit, noluit tamen ſua auctoritate approbare, neque Eccleſijs legendū proponere: quippe qui viderit, multa eſſe in eo, vel apochrypha, vel adeò incertæ, & dubiæ veritatis, vt non decuerit ea, quaſi vera, &

certa

certa, ab Eccleſia recipi, & haberi. Tertio notandum. Quòd non obſtante Galeſinij aſſertione de D. Benedicti tranſlatione, ac eiuſdem ab Eccleſia Mediolanenſi, & alijs ibi notatis celebratione: Eccleſia Romana noluit tranſlationem prædictam recipere, nec in diuinis officijs, cum alijs Sanctorum tranſlationibus legi; quo patenter voluit indicare, ſe hanc tranſlationem non agnoſcere, nec pro vera habere: imo ſequuta videtur Vrbani Secundi, & aliorũ Pontificum declarationes, qui eam falſam eſſe dixerunt, atque in Eccleſia celebrari prohibuerunt. Quarto notandum; Eundem Galeſinium in annotatione ad diem 21. Martij, agentem de feſto S. Benedicti aſſerere: *diem natalem eiuſdem, celebrari à Græcis (vt ex eorum Menologio patet) pridie Idus Martij: alijs verò in locis quinto Idus Iulij, quo die celebratur tranſlatio: Cum enim dies natalis eius in quadrageſimam cadat, quo tempore ex antiquo ritu de ſanctis fieri non ſolebat, ad certum illum menſis Iulij diem, celebritas eius dilata eſt: vt Radulphus Tungrenſis ſcribit.* Sic Galeſinius. Ex quibus

bus apparet, quinto Idus Iulij, in Eccleſia Mediolanenſi, & alijs, celebrari non feſtũ tranſlationis, ſed diem natalem S. Benedicti etiam iuxta ipſius Galeſinij ſententiã, qui in hoc ſequitur Radulphum Tungrenſem, de quo cap. præcedenti egimus. Celebrant ergo Eccleſiæ iſtæ de menſe Iulio, nõ tranſlationem Corporis, ſed tranſlationem feſti S. Benedicti; vt dictũ eſt. Quinto notandum. Quamuis concederemus, Eccleſiam Mediolanenſem, & cæteras ante reformationem Martyrologij Romani, celebraſſe tranſlationem S. Benedicti, nil cõtra nos, ſed omnia pro nobis, cum nunc eandem tranſlationem amplius non celebrent. Sic olim in multis Hiſpaniarum Eccleſijs Cathedralibus eo die feſtum S. Benedicti celebrabatur: quod nunc à nulla video celebrari. Denique notandum. Iuxtà Galeſinij ſententiam, Eccleſias quæ tranſlationis S. Benedicti feſtum celebrare dicuntur, non tranſlationem illam, qua è Caſſino Monte ad Monaſterium Floriacenſe ſacra illa oſſa aſportata referuntur: ſed tranſlationem poſteriorem, qua eadẽ

oſſa à Floriaco Caſſinum relata dicũtur, colere, & celebrare. Cum enim Galeſinius has duas aſſignauerit tranſlationes: hanc poſteriorem aſſerit eſſe eam, de qua agitur quinto Idus Iulij.

Hic iam mihi videor audire Io: à Boſco cum vniuerſis Gallicis de hac re ſcriptoribus, exclamantes; atque dicentes: falſam eſſe hanc ſecundam tranſlationem, vt potè nunquã factam: Corpus namque Beati Benedicti ſemel Floriaci delatum, nunquã inde Caſſinum relatum fuiſſe, omnes ipſi contendunt. Ego verò contra aſſero, falſam eſſe priorem illam tranſlationem, qua dicitur B. Benedicti Corpus, è Caſſino Floriacum fuiſſe deductum: Corpus enim Sãctiſsimi Patris ſemel Caſsini ſepultum, nũquam inde alio fuit tranſportatum, ſed vſque in præſens Caſsini manet: vt ex his, quæ libro ſuperiori adduximus, euidenter patet. Fuiſſe aũt Caſsini ſepultũ B. Benedictũ, nemo eſt, qui neget: inde verò fuiſſe Floriaci tranſlatum, nec probat Boſcus, nec aliquid cogit idipſum credere. Iam verò, ſi Eccleſiæ præfatæ, poſterio-

rem tranſlationem Sancti Benedicti celebrant, vt vult Galeſinius, errare videntur iuxta Gallorum ſententiam, aſſerentium, eam tranſlationem nunquã factam fuiſſe. Si autem celebrant priorem illam errant ſimiliter, quia contra trium Summorum Pontificum mandatum, & ordinem hoc faciunt. Ego verò cenſeo, eas Eccleſias nullum committere errorem; tum quia neutram harum celebrant tranſlationum, ſed diem natalem S. Benedicti in quintũ Idus Iulij tranſlatum: tum etiã, quia & ſi aliquã illarum tranſlationum, vel vtramque celebrarent, nullum committerent errorem, vt infra dicemus.

C A P. VII.

O Peroſior, ac moleſtior mihi res eſt, cũ nobiliſsima ac religioſiſs. Congregatione S. Benedicti Valliſoletani, quę me à ſeculo fugientem ſuo gremio, in ſacro B. Mariæ de Monteſerrato Cœnobio, benigniſsime excepit, fouit, atque nutriuit: in qua & profeſsionem emiſi, humanaſque, ac ſacras litteras didici,

noſtri (ſicut ego pluries ab eiſdem ipſis audiui) cenſebant, feſtum illud nō eſſe tranſlationis Corporis S. Patris Benedicti, ſed tranſlationis feſti natalis eiuſdem: quod vt plenius, atque feſtiuius, & cum octauis celebrari poſſet, in eum diem iampridem fuerat tranſlatum.

Poſtea vero anno 1568. impreſſum fuit quoddā huius Congregationis breuiariū Salmaticæ, in quo appoſitę fuerūt lectiones de tranſlatione S.P.B. in hunc modū.

De Tranſlatione Corporis Sanctiſs. Patris Benedicti longa diſceptatione inter graues ſcriptores controuerſum eſt. Quibus omnibus diligenter diſcusſis, apparet hæc veritas, omnibus complectenda. Caſſinenſe Monaſterium (quod Sanctus Pater Benedictus conſtruxit, & ſingulari ſplendore virtutum, & miraculorum inſignibus illuſtrauit, vbi etiam dum viueret, ſuo Beato Corpori deſignauit ſepulchrum) poſt annos aliquot à Longobardis euerſum, atque dirutum eſt. Quod futurum ipſe Pater Sanctus longe ante prædixit, & planxit. Hanc euerſionem audiens, & dolens Mūmolus Abbas Monaſterij Floriacenſis in

Gallia prope Ligeris fluminis ripam, Zelo tanti Patris, & Diuina reuelatione permotus: miſſo ad Montem Caſſinum prudenti, & religioſo Monacho, cum tanto negotio aptis comitibus, ſacra B. Benedicti oſſa, cœleſti tandem indicio inuenta, in prædictum Floriacenſe Monaſterium transferre curauit, ac in eodem reuerenter collocari. Neque defuerunt ſigna, quibus illud eſſe B. Benedicti Corpus oſtenderetur. Nam cum Mummolus Abbas, cum frequenti populorum turba ſacris oſſibus ebuiam occurreret: ecce defuncti cadauer efferebatur: cumque placuiſſet ſancta oſſa cadaueri applicare. mox vt ea cadauer tetigit, mortuus cum omnium ſtupore ad vitam reuocatus eſt. Aliud præterea admirabile ſignum dicitur in illa Tranſlatione exhibitum. Nauis enim cui ſacra oſſa erant impoſita, deficiente gubernatoris peritia, recto curſu fluuium ſine vlla offenſione pertranſijt; & glaciem illam (nam frigore concreta erat aqua) haud ſecus, quam aquam fluidam diſſecuit, & mira celeritate, licet aduerſo flumine, ad portum deuecta eſt. Sed & aliud ſæculis omnibus inauditum ſignum tunc cælitus oſtenſum aſſeritur:

Nam

Nã cum arbores loci illius, quo B. Benedicti Corpus appulit, hiberno frigore rigerent, ſtatim vt terrã S. viri Corpus cõtigit, ipſæ arbores ſubito floreſcere, et nouis veſtiri frondibus, et floribus viſæ ſunt. Dignatus eſt Dominus, hoc oſtẽſo miraculo, ſuũ Benedictũ honorare, et cõtra naturæ legem, brumalem glaciem in vernam temperiem commutare repẽte. Facta autem dicitur hæc tranſlatio ſub Siſinnio Pontifice, qui viginti tantum dies in Pontificatu vixit, circa annum Domini ſeptingenteſimum tempore, quo florebant venerabilis Beda ordinis eiuſdem Sancti Benedicti, & Strabo, & Haimo eius fratres.

Sed poſt annos plus minus quinquaginta, nempe ſub Zacharia Pontifice, reædificato iã Caſſinenſi Monaſterio, atque magnifice inſtaurato, & in eo commorante Carolo Manno Pipini Francorum Regis fratre: idem Carolus Mannus Monaſticam vitam profeſſus, cum quibuſdam alijs eiuſdem Caſſinẽſes Monaſterij Monachis, Romanum Pontificem adeunt, & ab eo obtinent, vt Beatiſs. Benedicti Corpus, quod tempore ruinæ eiuſdem Monaſterij Caſſinenſis inde fuerat ablatum, & ad

Mo-

Monaſterium Floriacenſe deportatum, ad Caſſinenſe ſepulchrum, ab eodem Beato viro deſignatum, reducatur. Zachariæ ergo Pontificis, & Caroli Manni fratris ſui litteris adhortatus Pipinus Rex, Caſſinenſium precibus annuit, & Sanctum Corpus ſuo Caſſinenſi Monaſterio reddi iuſſit: quo cum ingenti totius Italiæ exultatione reſtitutum eſt. Celebramus ergo hodie, vel tranſlationem illam, qua propter euerſionem Monaſterij Caſſinenſis Corpus Beati Benedicti eſt ad Floriacenſe cùm ſignis, & prodigijs pro ratione illorum temporum, Domino diſponente deportatum: vel certè tranſlationem poſteriorẽ, qua proprio Caſſinenſi ſepulchro Beata illa oſſa ſunt reddita: vbi indubitata fide requieſcunt, prout ingentibus ſignis, & reuelationibus, ac tandẽ Apoſtolica auctoritate declaratũ eſt. Hactenus lectiones præfati Breuiarij.

CAP. VIII.

MVlta occurrunt dicenda circa ea, quæ in prædictis narrantur lectionibus: ſed ego ea ſolũ in præſenti attingam, quæ proprie ad rem, de

CAP. V.

Boſc. pag. 387. SEd opponit nobis Ioannes à Boſco Eccleſiam Mediolanenſem ab inclyto Pontifice Borromeo Cardinali in antiquum nitorem reſtitutam, quam aſſerit, tranſlationis S. Benedicti feſtum etiam nunc celebrare: necnon omnes Hiſ-
Boſc. pag. 382. panicas Eccleſias, atque in Germania Curienſem, quæ totius rei veritatem expendentes, exploſis Salmoneis Caſſinatũ bullis; feſtum huiuſmodi conſtanter colunt, ac venerantur.

Quod attinet ad nobiliſſimam Mediolanenſem Eccleſiam, fallit, aut fallitur Ioannes à Boſco, dum aſſerit, illam huiuſmodi tranſlationem hodie celebrare. Obſeruat quidem Eccleſia Mediolanenſis, ſi-
Concilium Loadic. ue Ambroſiana ſtatutum Concilij Laodicenſis, in cuius cap. 51. cauetur, ne martyrum natilitia in quadrageſima celebrentur. Vbi quamuis de ſolis martyribus fiat mentio: de quorumcumque Sanctorum feſtis Canonem illum loqui, Patres intel-

xerunt.

xerunt. Vnde in Concilio Toletano deci- mo ſancitum eſt, vt feſtum Annunciatio- nis B. Virginis Mariæ, quod fere ſemper in quadrageſimam incidit, in decimum quintum calendarum Ianuariarum annua tim celebrandum transferretur: quod ha- ctenus in Hiſpania obſeruatur: in Ambro ſiana verò Eccleſia dominica proxima ante Natale celebratur, vt docet Radul- phus Decanus Tungrenſis in libro de Ca- nonum obſeruatione, propoſitione deci- ma ſexta. Similiter feſta Sanctorum Gre- gorij, & Ambroſij, antiquitus ad dies or- dinationis eorundem tranſlata fuerunt: Gregorij, ſcilicet, ad diem tertium ſep- tembris, Ambroſij verò ad diem ſeptimum decembris, vbi etiam nunc celebratur: & S. Patris Benedicti feſtum, ad quintũ Idus Iulij, quo die illud celebrat etiam nũc Ec- cleſia Mediolanenſis. Cũ ergo aliqui aſſe- rũt, Eccleſiã Mediolanenſem celebrare fe- ſtum tranſlationis S. Benedicti intelligen- di ſunt de tranſlatione feſti non de tranſ- latione Corporis. Cũ enim de menſe Mar- tio, quo tempore Eccleſia Romana San-

Concilium Tolet.

cti Benedicti feſtum colit, Eccleſia Ambroſiana illud non celebret, ſed ad quintum Idus Iulij, quo die à quibuſdam feſtũ tranſlationis eiuſdem celebrabatur, tranſtulerit: arbitrati ſunt quidam, Eccleſiam Mediolanenſem celebrare feſtum tranſlationis S. Benedicti, cum reuera tranſitum, ſeu natale eiuſdem tunc celebret. Vnicum namque feſtum S. Benedicti celebrat in anno: nec eſt dicendum, omiſſo natali eius feſto, tranſlationem ſolummodo celebrare. Hoc ita eſſe, docet apertè Radulphus vbi ſupra: Poſtquam enim egit de tranſlatione feſti Annunciationis, Gregorij, & Ambroſij, hæc de feſto S. Benedicti ſubnectit. *Et Benedictus ad diem tranſlationis ſuæ de Menſe Iulio, ſed poſtea Annunciatione in Romana Eccleſia ad locum ſuum redeunte, ſimiliter & alij apud nos redierunt. Et exinde retenta eſt Tranſlatio Sancti Benedicti.* Hæc ille. Vbi nota verbum illud, exinde. quaſi dicat; ex reditu feſti S. Benedicti ad locum ſuum de menſe Martio, ortum eſt, ac retentum feſtum tranſlationis eiuſdem de menſe Iulio: ita vt duo feſta

Radulph.

eiuſdem Sancti ex tunc cœperint celebrari, vnum de menſe Martio, cum Eccleſia vniuerſali, alterum de menſe Iulio à quibuſdam Eccleſijs ob deuotionem tāti Patris, illud vocabant feſtum tranſitus, iſtud vero tranſlationis. Sicut & in Hiſpania feſtum Annunciationis cum Eccleſia vniuerſali celebratur die vigeſimaquinta Martij, atque ſub nomine expectationis B. Virginis Mariæ celebratur rurſus die decima octaua menſis Decembris.

Probatur præterea, quod Eccleſia Mediolanenſis celebret quinto Idus Iulij tranſitum S. Benedicti ex officio, quod eo die in prædicta Eccleſia recitatur, in quo nihil penitus de Tranſlatione, ſicut nec in calendario, aut titulo officij ita prænotatur, ſed tantum ſolemnitas S. Benedicti. Ad Matutinum autem iuxta ritum recitandi officium ex præſcripto breuiarij Ambroſiani, ſequentem lectionem, quæ eſt in ordine tertia, de B. Benedicto legunt.

Benedictus Nurſiæ nobili familia natus, Romæ liberalibus artibus eruditus, pietatis ſtudio flagrans, rebus huius ſeculi contemptis, Lectio de S.P. Benedicto.

ad locum Sublacum profectus, in ſpeluncam altiſſimam ſe abdidit: vbi vni ſolum Monacho, cuius opera ad vitæ neceſſitatem vtebatur, notus, triennio religioſè vixit, ſuperatis diaboli inſidijs. Fama eius ſanctitatis cum in omnes partes erupiſſet, inuitus Monaſterio quod propè aberat, ab illius Monachis præficitur: quorum & obiurgata viuendi licentia, & cognita conſpiratione, maluit in ſolidinem ſe recipere, quàm cum illis diutius eſſe. At verò cum magnus numerus diſcipulorum ad eum quotidie conueniret, Monaſteria duodecim ædificauit, ſanctiſque inſtitutis communiuit. Poſtea Caſſinum migrauit: vbi in dies magis Diuina gratia auctus, cum multa prophetico ſpiritu ventura prædixit, tum plura miracula edidit. Scripſit autem luculente, ſancteque regulam Monachorum: quam à S. Gregorio primo Pontifice laudatam, & ſeruatam, omnes occidentales Monachi amplexi ſunt. Omni igitur meritorum laude clarus, demum ad præmium abijt in Cælum.

Nota hæc de B. Gregorio.

Lectio hæc deſumpta eſt ex Breuiario Ambroſiano, à Petro Galeſinio Prothonotario Apoſtolico, de mandato beatæ

me-

memoriæ Cardin. Caroli Borromei Mediolanenſis Archiepiſcopi reſtaurato, impreſſoque anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto. Vbi, vt apparet, nihil penitus de Sancti Benedicti tranſlatione, ſed tantum de eius fœlici tranſitu, quo migrauit in cęlum, agitur. Non ergo eſt, cur Ioannes à Boſco nobis opponat Eccleſiæ Mediolanenſis auctoritatem (quæ maxima eſt) quaſi celebrâtis feſtum tranſlationis S. Benedicti, cum multo aliter ſe res habeat, vt ex prædictis liquido conſtat.

C A P. VI.

OBijciet forte quiſpiam aduerſus ea, quæ præcedenti capite diximus, pręfati Petri Galeſinij auctoritatem; qui in ſuo Martyrologio, quinto Galeſinij Martyrol. Idus Iulij aſsignat Diui Benedicti tranſlationem cum ſequenti annotatione. *Quam tranſlationem multæ Eccleſiæ celebrant, vtpotè Mediolanenſis, Cordubenſis, Conſtantienſis, & Curienſis, aliæque item, vt ex earum tabulis animaduertimus. Porrò duæ*

illius

illius tranſlationes extiterunt, ambæq; litterarum monimentis proditæ à Theodorico Theutonico ordinis Benedictini, Prioris tranſlationis meminerunt Sigelbertus in Chronico; Laziardus Celeſtinus; Boſsius, Martinus Polonus, & alij præterea, quos ſilentio præterimus, ne rem longius faciamus, quam oportet. Verum enim verò Leo Monachus ſcriptor annalium Montis Caſsini, non deſtitit locupletiſsimis teſtimonijs & obſignatis Summorum Pontificum tabulis, alijſque argumentis contra diſſerere, pleneque affirmare, illius Sanctiſsimi Abbatis Corpus in Monaſterio Caſsinenſi reconditum, inde tranſlatum non eſſe. Non deſunt tamen, vt Volaterranus, cæterique qui ſcribunt inde aliquando ad Floriacum Monaſterium aſportatum, deinde aliquot poſt annis Caſsinum iterum tranſlatum eſſe. Atque hæc quidem poſterior tranſlatio eſt, quam meminimus. Hæc Galeſinius. Cuius teſtimonio videtur eſſe ſtandum, cum ipſe fuerit Eccleſiæ Mediolanenſis alumnus, probeque nouerit, celebritates, & ritus eiuſdem. Nihilominus nobis videtur, his Galeſinij notamentis noſtram ſententiam ſtabiliri,

con-

contrariam verò penitus conuelli. Pro
quo notandum primò, Martyrologium
Galeſinij editum fuiſſe antequam Roma-
num Martyrologium à Gregorio XIII. re
ſtauratum, publicaretur, atque vniuerſis
Eccleſijs legendum proponeretur. Inue-
nitur enim illud Galeſinij impreſſum Ve-
netijs anno 1578. Romanum verò refor-
matum, promulgatum fuit ab eodem Gre
gorio anno 1584. vt patet ex litteris Apo-
ſtolicis eidē Martyrologio præfixis. Hinc
apparet, Galeſinij Martyrologium, quam-
uis ab ipſo Romanū appelletur, nō eſſe Ro
manū illud in Diuinis officijs à Gregor. le-
gi iuſſum. Secundo notandū, Martyrolo-
gium Galeſinij oblatum quidem fuiſſe
Gregorio XIII. vt ex epiſtola dedicatoria
ad eundem Pontificem patet: qui quam-
uis facultatem illud imprimendi conceſ-
ſerit, noluit tamen ſua auctoritate appro-
bare, neque Eccleſijs legendū proponere:
quippe qui viderit, multa eſſe in eo, vel
apochrypha, vel adeò incertæ, & dubiæ
veritatis, vt non decuerit ea, quaſi vera, &
[illegible] certa

certa, ab Eccleſia recipi, & haberi. Tertio notandum. Quòd non obſtante Galeſinij aſſertione de D. Benedicti tranſlatione, ac eiuſdem ab Eccleſia Mediolanenſi, & alijs ibi notatis celebratione: Eccleſia Romana nóluit tranſlationem prædictam recipere, nec in diuinis officijs, cum alijs Sanctorum tranſlationibus legi; quo patenter voluit indicare, ſe hanc tranſlationem non agnoſcere, nec pro vera habere: imo ſequuta videtur Vrbani Secundi, & aliorũ Pontificum declarationes, qui eam falſam eſſe dixerunt, atque in Eccleſia celebrari prohibuerunt. Quarto notandum; Eundem Galeſinium in annotatione ad diem 21. Martij, agentem de feſto S. Benedicti aſſerere: *diem natalem eiuſdem, celebrari à Græcis (vt ex eorum Menologio patet) pridie Idus Martij: alijs verò in locis quinto Idus Iulij, quo die celebratur tranſlatio: Cum enim dies natalis eius in quadrageſimam cadat, quo tempore ex antiquo ritu de ſanctis fieri non ſolebat, ad certum illum menſis Iulij diem, celebritas eius dilata eſt: vt Radulphus Tungrenſis ſcribit.* Sic Galeſinius. Ex quibus

bus apparet, quinto Idus Iulij, in Eccleſia Mediolanenſi, & alijs, celebrari non feſtũ tranſlationis, ſed diem natalem S. Benedicti etiam iuxta ipſius Galeſinij ſententiã, qui in hoc ſequitur Radulphum Tungrenſem, de quo cap. præcedenti egimus. Celebrant ergo Eccleſiæ iſtæ de menſe Iulio, nõ tranſlationem Corporis, ſed tranſlationem feſti S. Benedicti; vt dictũ eſt. Quinto notandum. Quamuis concederemus, Eccleſiam Mediolanenſem, & cæteras ante reformationem Martyrologij Romani, celebraſſe tranſlationem S. Benedicti, nil cõtra nos, ſed omnia pro nobis, cum nunc eandem tranſlationem amplius non celebrent. Sic olim in multis Hiſpaniarum Eccleſijs Cathedralibus eo die feſtum S. Benedicti celebrabatur: quod nunc à nulla video celebrari. Denique notandum. Iuxtà Galeſinij ſententiam, Eccleſias quæ tranſlationis S. Benedicti feſtum celebrare dicuntur, non tranſlationem illam, qua è Caſſino Monte ad Monaſterium Floriacenſe ſacra illa oſſa aſportata referuntur: ſed tranſlationem poſteriorem, qua eadẽ

oſſa à Floriaco Caſsinum relata dicũtur, colere, & celebrare. Cum enim Galeſinius has duas aſsignauerit tranſlationes: hanc poſteriorem aſſerit eſſe eam, de qua agitur quinto Idus Iulij.

Hic iam mihi videor audire Io. à Boſco cum vniuerſis Gallicis de hac re ſcriptoribus, exclamantes, atque dicentes: falſam eſſe hanc ſecundam tranſlationem, vt pote nunquã factam: Corpus namque Beati Benedicti ſemel Floriaci delatum, nunquã inde Casſinum relatum fuiſſe, omnes ipſi contendunt. Ego verò contra aſſero, falſam eſſe priorem illam tranſlationem, qua dicitur B. Benedicti Corpus, è Casſino Floriacum fuiſſe deductum: Corpus enim Sãctiſsimi Patris ſemel Caſsini ſepultum, nũquam inde alio fuit transportatum, ſed vſque in præſens Caſsini manet: vt ex his, quæ libro ſuperiori adduximus, euidenter patet. Fuiſſe aũt Caſsini ſepultũ B. Benedictũ, nemo eſt, qui neget: inde verò fuiſſe Floriaci tranſlatum, nec probat Boſcus, nec aliquid cogit idipſum credere. Iam verò, ſi Eccleſiæ præfatæ, poſterio-

rem tranſlationem Sancti Benedicti celebrant, vt vult Galeſinius, errare videntur iuxta Gallorum ſententiam, aſſerentium, eam tranſlationem nũquã factam fuiſſe. Si autem celebrant priorem illam errant ſimiliter, quia contra trium Summorum Pontificum mandatum, & ordinem hoc faciunt. Ego verò cenſeo, eas Eccleſias nullum committere errorem; tum quia neutram harum celebrant tranſlationum, ſed diem natalem S. Benedicti in quintũ Idus Iulij tranſlatum: tum etiã, quia & ſi aliquã illarum tranſlationum, vel vtramque celebrarent, nullum committerent errorem, vt infra dicemus.

CAP. VII.

OPeroſior, ac moleſtior mihi res eſt, cũ nobiliſsima ac religioſiſs. Congregatione S. Benedicti Valliſoletani, quę me à ſeculo fugientem ſuo gremio, in ſacro B. Mariæ de Monteſerrato Cœnobio, benigniſsime excepit, fouit, atque nutriuit: in qua & profeſsionem emiſi, humanaſque, ac ſacras litteras didici,

atque annis multis vixi: quam conſtat ſolenniſſimo ritu, ac feſtiuiſſimis gaudijs, ex indulto S. Sedis Apoſtolicæ, tranſlationẽ Corporis S. Patris Benedicti quinto Idus Iulij, etiam hodie celebrare: vt ex lectionibus Breuiarij eiuſdem Congregationis plane apparet. Aſſerere autem, eam in re tanti momenti errare, temerarium videtur. Optaſſem equidem ob honorem, & reuerentiam tam Illuſtris Congregationis, eius hoc in loco nullam facere mentionem: libenterque eam hic prætermiſiſſem, niſi Ioannes à Boſco (qui eius auctoritate pro defenſione tranſlationis Sancti Benedicti vtitur) ad id me inuitum, & renitentem compuliſſet. Cum enim laborem hunc pro veritate tuenda ſuſceperim: cogor eam aduerſus amiciſſimos, & coniunctiſſimos quoſque pro virili defendere. Nam ſi ethnicus philoſophus Socrati, & Aristot. Platoni ſibi amiciſſimis prætulit veritatem: quanto potius ego Chriſtianus, & religioſus, eandem omnibus priuatis affectionibus præponere debeo? Parcat ergo mihi, obſecro, dulciſſima, ac indul-

dulgentisſima parens, ſi in his ſcriptis, vt veritatem ſequar, eius ſententiam deſero: atque opinionem de tranſlatione Sanctiſſimi Patris Benedicti, quam ipſa ſequitur, quia falſam ſcio, non amplector, ſed impugno: quod quidem eo libētius facio, quod noui, ipſam eſſe veritatis amantiſſimam: quam cum in his filij ſui ſcriptis repererit, amplectetur, retinebitque. Antiquum eſt in prefata Congregatione feſtum tranſlationis S. Benedicti quinto Idus Iulij celebrare: ſed recens, ac nouum in officio eius diei, aliquid de tranſlatione Corporis eiuſdem S. Patris recitare. In antiquioribus nãque eiuſdem Congregationis breuiarijs, ita ordinatur officiũ eo die recitandum, vt nulla de tranſlatione S. Patris noſtri fiat mentio, ſed omnia dicantur ſicut in die natalis, ſeu tranſitus eiuſdem: exceptis oratione, quæ erat, Interceſsio nos, quæ ſumus Domine: & lectionibus, primi, & ſecundi nocturni, quę quamuis non eſſent eædem cum lectionibus alterius feſti, tamen ex eodem ſecundo libro Dialogorũ B. Gregorij erãt deſumptæ; Maiores enim

no-

noſtri (ſicut ego pluries ab eiſdem ipſis audiui) cenſebant, feſtum illud nõ eſſe tranſlationis Corporis S. Patris Benedicti, ſed tranſlationis feſti natalis eiuſdem: quod vt plenius, atque feſtiuius, & cum octauis celebrari poſſet, in eum diem iampridem fuerat tranſlatum.

Poſtea vero anno 1568. impreſſum fuit quoddã huius Congregationis breuiariũ Salmaticæ, in quo appoſitę fuerũt lectiones de tranſlatione S. P. B. in hunc modũ.

De Tranſlatione Corporis Sanctiſs. Patris Benedicti longa diſceptatione inter graues ſcriptores controuerſum eſt. Quibus omnibus diligenter diſcuſſis, apparet hæc veritas, omnibus complectenda. Caſſinenſe Monaſterium (quod Sanctus Pater Benedictus conſtruxit, & ſingulari ſplendore virtutum, & miraculorum inſignibus illuſtrauit, vbi etiam dum viueret, ſuo Beato Corpori deſignauit ſepulchrum) poſt annos aliquot à Longobardis euerſum, atque dirutum eſt. Quod futurum ipſe Pater Sanctus longe ante prædixit, & planxit. Hanc euerſionem audiens, & dolens Mũmolus Abbas Monaſterij Floriacenſis in

Gallia

Gallia prope Ligeris fluminis ripam, Zelo tanti Patris, & Diuina reuelatione permotus: miſſo ad Montem Caſinum prudenti, & religioſo Monacho, cum tanto negotio aptis comitibus, ſacra B. Benedicti oſſa, cœleſti tandem indicio inuenta, in prædictum Floriacenſe Monaſterium transferre curauit, ac in eodem reuerenter collocari. Neque defuerunt ſigna, quibus illud eſſe B. Benedicti Corpus oſtenderetur. Nam cum Mummolus Abbas, cum frequenti populorum turba ſacris oſſibus ebuiam occurreret: ecce defuncti cadauer efferebatur: cumque placuiſſet ſancta oſſa cadaueri applicare, mox vt ea cadauer tetigit, mortuus cum omnium ſtupore ad vitam reuocatus eſt. Aliud præterea admirabile ſignum dicitur in illa Tranſlatione exbibitum. Nauis enim cui ſacra oſſa erant impoſita, deficiente gubernatoris peritia, recto curſu fluuium ſine vlla offenſione pertranſijt; & glaciem illam (nam frigore concreta erat aqua) haud ſecus, quam aquam fluidam diſſecuit; & mira celeritate, licet aduerſo flumine, ad portum deuecta eſt. Sed & aliud ſeculis omnibus inauditum ſignum tunc cœlitus oſtenſum aſſeritur:

Nam

Nã cum arbores loci illius, quo B. Benedicti Corpus appulit, hiberno frigore rigerent, ſtatim vt terrã S. viri Corpus cõtigit, ipſæ arbores ſubito floreſcere, et nouis veſtiri frondibus, et floribus viſæ ſunt. Dignatus eſt Dominus, hoc oſteſo miraculo, ſuũ Benedictũ honorare, et cõtra naturæ legem, brumalem glaciem in vernam temperiem commutare repẽte. Facta autem dicitur hæc tranſlatio ſub Siſinnio Pontifice, qui viginti tantum dies in Pontificatu vixit, circa annum Domini ſeptingenteſimum tempore, quo florebant venerabilis Beda ordinis eiuſdem Sancti Benedicti, & Strabo, & Haimo eius fratres.

Sed poſt annos plus minus quinquaginta, nempe ſub Zacharia Pontifice, reædificato iã Caſſinenſi Monaſterio, atque magnifice inſtaurato, & in eo commorante Carolo Manno Pipini Francorum Regis fratre: idem Carolus Mannus Monaſticam vitam profeſſus, cum quibuſdam alijs eiuſdem Caſſinẽſes Monaſterij Monachis, Romanum Pontificem adeunt, & ab eo obtinent, vt Beatiſs. Benedicti Corpus, quod tempore ruinæ eiuſdem Monaſterij Caſſinenſis inde fuerat ablatum, & ad

Monaſterium Floriacenſe deportatum, ad Caſſinenſe ſepulchrum, ab eodem Beato viro deſignatum, reducatur. Zachariæ ergo Pontificis, & Caroli Manni fratris ſui litteris adhortatus Pipinus Rex, Caſſinenſium precibus annuit, & Sanctum Corpus ſuo Caſſinenſi Monaſterio reddi iuſſit: quo cum ingenti totius Italiæ exultatione reſtitutum eſt. Celebramus ergo hodie, vel tranſlationem illam, qua propter euerſionem Monaſterij Caſſinenſis Corpus Beati Benedicti eſt ad Floriacenſe cùm ſignis, & prodigijs pro ratione illorum temporum, Domino diſponente deportatum: vel certè tranſlationem poſteriorē, qua proprio Caſſinenſi ſepulchro Beata illa oſſa ſunt reddita: vbi indubitata fide requieſcunt, prout ingentibus ſignis, & reuelationibus, ac tandē Apoſtolica auctoritate declaratū eſt. Hactenus lectiones præfati Breuiarij.

CAP. VIII.

MVlta occurrunt dicenda circa ea, quæ in prædictis narrantur lectionibus: ſed ego ea ſolū in præſenti attingam, quæ proprie ad rem, de

qua agimus, pertinere noſcuntur. Primū itaque notandum eſt, Monachos præfatæ Congregationis firmiter credere, atque ingenue confiteri, Corpus S. Patris Benedicti Caſſini nunc quieſcere: quod ingentibus ſignis, & reuelationibus, atque Apoſtolica auctoritate declaratum fuiſſe aſſerunt. In qua aſſertione à ſcriptoribus Gallis differentes, nobiſcum, & cum ipſa veritate, conſentiunt. Secundo notandum, eoſdem Monachos duas admittere S. Patris Benedicti tranſlationes: priorē è Caſſinenſi ad Floriacenſe Monaſterium, poſteriorem verò è contra. In quo cum quibuſdam ſcriptoribus, idem aſſerentibus, conueniunt: ſed à Gallis, & à nobis diſcrepant: ab illis quidem, quia poſteriorem tranſlationem omnino negant; à nobis verò, quia vtramq; reijcimus, rationibus, & auctoritatibus ſuperius allatis, innixi. Tertio dicunt, factam ſub Siſinnio circa annum ſeptingenteſimum: vnde non potuit fieri ab Aygulpho, qui diu ante obierat. Quarto prædicti Patres ingenue fatente, ſe ignorare, vtram ex duabus quas admit-

admittũt tranſlationibus, celebrẽt eo die, priorem ne, an poſteriorem: Sic enim aiũt. *Celebramus ergo hodie, vel tranſlationem illam, qua propter euerſionem Monaſterij Caſſinenſis, Corpus B. Benedicti eſt ad Floriacenſe cum ſignis, & prodigijs pro ratione illorum temporum, Domino diſponente, deportatum: vel certè tranſlationem poſteriorem, qua proprio Caſſinenſi ſepulchro beata illa oſſa ſunt reddita*, Quibus dicere poſſumus, quod Chriſtus Dominus cum Samaritana loquens, de Samaritanis dixit. Vos adoratis quod neſcitis. Ex his ergo lectionibus nullum firmum teſtimonium accipere poſſumus pro Gallis, nec pro nobis, cum pro, & contra vtroſque dicant. Quod cum prædictæ Congregationis Patres animaduertiſſent: in breuiario nuper anno 1598. edito, lectiones huiuſmodi correxerunt quædam addentes, alia verò detrahentes, multa mutantes: peculiariter autem, quam ex duabus prętenſis tranſlationibus celebrare intendunt, expoſuerunt, ita dicentes. Ioan. 4.

Tranſlatio S. Patris noſtri Benedicti Abbatis, quam hodie Clementis Septimi Ponti- Aliæ lect. de tranſl. S. Bened.

 ficis

ficis ſummi permiſſione, in Hiſpania Monachi nigri ſolemniter celebramus, ea ipſa eſt, qua eiuſdem S. Patris reliquiæ à S. Aygulpho Monacho Floriacenſi, qui poſtea in Lirinenſi Cœnobio Martyrium ſubijt, ex Italia in Gallias ante hos nongentos annos deportatæ ſunt. Poſtquam enim Monaſterium eius Caſſinenſe, ſicut ipſe viuens prædixerat, à Gentilibus eſt vaſtatum, Corpus eius, Domino reuelante, inuentum eſt: & pars eius in Gallias tranſlata, atque in territorio Aurelianenſi, Monaſterio quod vocatur Floriacum, condigne ſepulta. Tranſlata eſt autem pars etiam Corporis B. Scholaſticæ Virginis ſororis eius, atque in partibus Cœnomannenſium religioſorum deuotione condita. Miraculorum verò, quæ in eadem tranſlatione contigerunt, hæc præcipua referuntur. Nauis ſcilicet, remigio deſtitutæ, qua reliquiæ vehebantur, per fluuium, hyemali glacie conſtrictum, expeditus, & fœlix ad optatum portum curſus. Deinde poſtquã ad littus appulit; hiberni temporis in vernum, cunctis arboribus pulchris ſe floribus veſtientibus, repentina commutatio. Denique humano cadaueri reliquiarum con-

tactu vitæ reſtitutio. Quibus adeò plurima, ſubinde, ac ſplendida acceſſere, vt plurium ſcribendorum librorum eruditisſimis illius, & ſubſequentis ætatis viris amplam ſuppeditauerint materiam: quam ipſi, quæ ſua erat erga communem Patrem pietas, libentisſime arripuerunt: In quibus Adreualdus, qui Adelbertus, & Ammonius Floriacenſes Monachi, præcipui nominantur. Sed Caſsinenſibus Monachis, & in his Carolo Manno, Pipini Frãcorum Regis fratre, ſtrenue rem apud Romanum Pontificem, Regemque ipſum, ac totius Regni Proceres, gerentibus: S. Patris noſtri, et eiuſdem ſororis reliquiæ, ex Floriacenſi, Cœnomannenſique Cœnobijs acceptæ, ingenti, ſplendidoque comitatu, in Caſsinenſe relatæ, ſuiſque locis decentiſsime reſtitutæ ſunt, Deo negotium iſtud prodigijs inſignibus proſequente. Cuius reſtitutionis memoriam quotannis recolendam, Itali Monachi in ſuis tabulis eccleſiaſticis deſcriptam habent pridie nonas Decembris. Vbi adſcripta eſt etiam earum reliquiarum inuentio, quinto Calendas eiuſdem menſis longo poſt tempore à Deſiderio Caſsinenſi Abbate facta, qui Summus Pontifex

crea-

creatus, Victorque tertius dictus, claruit anno Domini milleſimo octogeſimo quinto. Hactenus ex lectionib. præfati moderni Breuiar.

C A P. IX.

Hic iam plane aſſerunt Patres iſti, plurimum obſeruandi, ſe celebrare priorem S. Benedicti tranſlationem, qua è Caſſinenſe ad Floriacenſe Monaſterium oſſa B. Patris delata fuiſſe referũtur; quæ facta aſſeritur quinto Idus Iulij: quo tempore, cum in his regionibus æſtus maxime vigeat: neſcio cur Patres iſti noſtri referunt tunc ea miracula cõtigiſſe, quę nõ ad æſtiuũ, ſed ad hybernũ tẽpus accommodata eſſe noſcuntur. Dicunt enim, Nauim, cui impoſitæ erant, S. Benedicti reliquiæ, per fluuium hyemali glacie conſtrictum, expeditè ac fœliciter ad optatum portum perueniſſe. Adduntque, commutationem repentinam hyberni temporis in vernam temperiẽ, cunctis arboribus pulchris ſe floribus veſtientibus. Nũquid Iulius menſis apud Floriacum in tempus inci-

incidit hybernum? Nunquid tunc Ligeris fluuij aquæ gelu conſtringi ſolent ? Minime certè : Quomodo ergo hæc miracula tunc contigiſſe dicunt? Profectò in his miraculis enarrãdis omnino falluntur: nec apud Adreualdum, ſeu Ammonium (vel potius Aymoinum) quos præcipuos ſcriptores tranſlationis S. Benedicti ipſi ſequuntur, tale quid inuenire poterunt. Adreualdus namque in libello de tranſlatione S. Benedicti cap. 5. Sanctum Aygulphum, non in naui, ſed in vnius ſportulæ ſinu beata illa oſſa aſſerit incluſiſſe, atque ita Floriacum vſque detuliſſe. Vnde ergo hæc, quæ de naui, & glacie Patres iſti referunt, habere potuerunt? Crediderim, hæc omnia eos hauſiſſe ex quodam hymno venerabilis Petri Mauritij Abbatis Cluniacenſis, qui de tranſlatione S. Benedicti ſcribens, ita cecinit. Boſc. pag. 6.

Claris coniubila Gallia cantibus.
Læteris Benedicti Patris oſsibus
Fœlixque gremio condita proprio
Seruas membra cæleſtia.

Mi-

Miris Italiæ fulſerat actibus.
Gallos irradiat Corpore mortuus
Signis ad tumulum crebrius emicat
Illuſtrans patriam nouam.
Hic vatum veterum facta reſuſcitat
Morti quod libuit mortuus imperat
Extinctum proprijs oſſibus excitat
O quam mira potentia.
Nauis per fluuium nat ſine remige
Mirando glaciem diſſecat impetu
Sancti membra ferens obuia flumini
Vndas reuereberat.
Eductum fluuio ſenſit vt arida
Non curans gelidi frigora temporis
Veſtit cuncta ſeſe illico floribus
Mutata facie ſoli
Iam cælo reſidens ò Pater optime
Diuinis famulos imbue Regulis
Anguſtum per iter ſcandere largiens
Dona regna perennia.
Cunctorum dominans omnipotentia,
Quæ de ſede Poli conſpicis omnia
Pſallentum placide ſuſcipe cantica
Votis voce precantia.
Amen.

In

In hoc hymno, venerabilis Petrus Cluniacẽſis tria illa refert miracula, quæ Monachi Congregationis Hiſpaniæ in ſuperioribus lectionibus deſcripſerunt; vnde videntur ea deſumpſiſſe. Et quidem ſi Petrus Mauritius hęc miracula intelligit cõtigiſſe quo tempore Corpus B. Benedicti aſſeritur à Floriacenſibus tranſlatum fuiſſe, per Sanctum Aygulphum è Caſino Monte ad ipſum Floriacenſe Monaſteriũ; dicendum eſt, ipſum hallucinatum fuiſſe; tum quia non in naui, ſed in ſporta dicitur fuiſſe tranſuectum, vt patet ex Adreualdo, vbi ſupra: tum etiam quia hæc trãſlatio incidit iuxta eodem in quintum Idus Iulij, ideſt in media æſtate, non autem in tempore hyberno, vt canit hymnus. Sed quoniam præfatus venerabilis Abbas fuit vir doctiſſimus, & Gallicanarum præcipuè rerum ſcientisſimus, non poſſum in animum inducere, vt credã, tantũ virũ in his enarrandis miraculis, tam craſſum errorem commiſiſſe, ſed arbitror, tria illa miracula ita eſſe diſtinguenda, vt primum de ſuſcitatione cadaueris contactu reli-

quiarum Diui Benedicti facta, pertineat ad primā prætenſam tranſlationem. Narrat enim Adreualdus in libello de tranſlatione S. Benedicti cap. 8. Simile miraculū factū à B. Benedicto quando Floriaci perductum eſt: duo vero reliqua inueniuntur ſcripta à Diederico in libello de illatione S. Benedicti cap. 8. & 9. facta à B. Patrē Benedicto, non quidem quando è Caſino in Gallias fuit deportatū, ſed multo poſt: quando ſcilicet ab Aurelijs (quo propter ingruentem Northmannorum cladē fuerat deductum) ad Floriacenſe Monaſterium reductum aſtruit: quod cum factum referat pridie nonas Decembris, duo illa inducta miracula, optime congruunt illius temporis rationi, cum nullo modo poſſint conuenire priori illi tranſlationi, de menſe Iulio factę. Cecinit ergo Petrus Mauritius tria illa miracula, quæ legerat à B. Benedicto fuiſſe patrata: quę quamuis ſimul ſint poſita in hymno, non tamen intelligenda ſunt, ſimul accidiſſe.

Boſc. pag. 10.

Boſc. pag. 225. e 226.

Ergò in iſto hymno Petrus Mauritius relata retulit, & quę à Monachis Floriacenſibus ſcripta reperit miracula, breuiter

hic perſtrinxit. Cùm ergo conſtet, vnde ea deſumpſerit Petrus, non eſt, cur nobis obijciant eius auctoritatem, cum ipſe horum miraculorum non ſit auctor, ſed prænominatos auctores ſit ſequutus. His adde, potuiſſe facile errare Petrum Mauritium, cum habuerit huius ſui erroris duces, & anteſignanos, Adreualdum, & Diedericum. Certè Petrus Mauritius nec doctior, nec ſanctior fuit Diuo Gregorio Nazianzeno, qui tamen in recenſenda Diui Cypriani Carthaginēſis Epiſcopi, & Martyris vitæ hiſtoria, valde hallucinatus eſt, & quāuis multi ipſius errorem ſint ſequuti: tamen Eccleſia Romana in ſuo Martyrologio reformato aliter ſentit: vt patet ex his, quę legit ſexto Calendas Octobris, vbi videndus Baronius; ac etiam in annotationibus ad decimum octauum Calendarum Octobrium. Quod ſi talis, & tantus vir in prædicta hiſtoria recenſenda lapſus eſt, nil mirum ſi Petrum Mauritiū circa tranſlationem S. Benedicti, & miracula, in ea facta, lapſum eſſe dicamus, maximè cum ipſe non fuerit huius auctor erro-

ris, ſed priores ſcriptores, ei anſam, & occaſionem errandi præbuerint. Profecto ſi tranſlatio S. Patris Benedicti falſa eſt, vt multa probant, conſequenter miracula, & alia omnia quæ in ipſa, vel circa ipſam contigiſſe referuntur, falſa etiam eſſe neceſſe eſt. Hymnus ergo iſte nil probat contra nos, ſed tantum oſtendit, Petrum Mauritium credidiſse, hiſtoriam, ſeu narrationem, quæ de tranſlatione S. Benedicti circumferebatur, veram eſse, & ſic de illa præfatum hymnum compoſuiſſe.

C A P. X.

ILlud porrò, quod in eiſdem lectionibus aſſeritur, de reſtitutione Corporum Beatorum Benedicti & Scholaſticæ ad Cœnobiū Caſſinenſe: Monachos videlicet Italiæ eius reſtitutionis memoriam quotannis recolendam in ſuis tabulis eccleſiaſticis deſcriptam habere pridie nonas Decembris, falſum omnino eſt. Tabulæ namque illæ, vnde iſta deſumpſerūt, non Monachorum Italiæ, ſed Arnoldi

Vuionis

Vuionis Belgæ, Congregationis Burſfeldenſis Monachi, tranſlati poſteà ad Congregationem Caſſinenſem, dicendæ ſunt. Neque enim eis vtitur Congregatio Caſſinenſis, aut ab ea ſunt receptæ, ſeu approbatæ: ſed ipſe Arnoldus ſuo nomine libros illos euulgauit: in quibus multa reperiuntur caſtigatione digna. Et quidem de Cõgregationibus Germanię, & Franciæ vera ne ſint quæ ſcribit, non magnopere curo: At de Congregationibus Italiæ, & Hiſpaniæ certum eſt, ipſum pleraque falſa dixiſſe. Ex multis itaque erroribus ab Arnoldo, in enarrandis Congregationis Sancti Benedicti Valliſoleti rebus, commiſſis: potuiſſent facilè prædictæ Congregationis Patres, de cæterorũ veritate prudenter dubitare: nec ſtatim ab eo quomodolibet dicta, tamquam Diuinum oraculum ſuſcipere: ac in Diuini officij lectionibus abſque alio examine ea recitare debuerunt. Illud namque, quod in Martyrologio à ſe ad libitum ordinato, pridie nonas Decembris habet, ſcilicet, *In Monte Caſſino relato S. Patris noſtri Benedicti, & S. Scholaſticæ*

Vir-

Virginis ſororis eius, ex Cęnobio Floriacenſi in Gallijs ad ſuum Monaſterium: neſcio qua fronte aſſerere auſus eſt, cum ſit falſiſſimum, nec in prædicto Monaſterio Caſſinenſi huius relationis aliqua habetur memoria. Ego quidem in eodem ſacro Cœnobio benignitate Reuerendiſſimi Patris Gregorij à Caſtione Aretino Abbatis, per biennium, & eo amplius commoratus, ac perhumaniter ab eo, ceteriſque religioſiſſimis eiuſdem ſacri loci Monachis, tractatus: occaſione huius libelli conſcribendi, ipſius Cœnobij monimenta omnia nouiſſima, & antiqua, diligenter euolui, nec vel tenue veſtigium huius aſſertę ab Arnoldo relationis reperire potui: ſed potius oppoſitũ .ſ. S.B.P.Benedicti Corpus nunquam inde fuiſſe tranſlatum: cum quo nullo modo ſtare poteſt aſſerta ab Arnoldo eiuſdem ad idem Cœnobium, relatio. Impoſuit ergo Patribus Congregationis prædictæ Arnoldus: putantes enim ipſum vera dixiſſe, falſitatem bona fide amplexi ſunt; ac ſuis lectionibus inſeruerunt. Quod autem vltimo loco aſſerunt Patres

mei,

mei, de inuentione Corporis S. Benedicti facta quinto Calendas Decembris, mendum eſt, neſcio cui adſcribendum. Siquidem Arnoldus ſequutus Petrum Diaconum Caſſinenſem, inuentionem prædictā non quinto Calendas Decembris, ſed quinto Calendas Aprilis (octauo ſcilicet à feſto S. Benedicti die) factam fuiſſe aſſerit. Hinc planè conſtat, ex prædictis lectionibus nullum firmum, aut ſolidum teſtimonium ſumi poſſe ad comprobandam S. Benedicti tranſlationem, cum tot, & tanta ſint in eis emendatione digna. Corrigant ergo Pater ſapientiſſimi lectiones iſtas, nec amplius incertis de tranſlatione S. Benedicti ſcriptis fidem præſtent: quin potius redeant ad antiquam Patrum ſuorum de hac feſtiuitate opinionem, credantque, hanc tranſlationem non Corporis, ſed feſti Sanctiſſimi Benedicti eſſe.

C A P. XI.

SCio, Patres huius Congregationis, vt abſq; aliquo conſcientiæ ſcrupulo hu-

iuſ

iuſmodi trãſlationis feſtum celebrare poſſent, pecnliare indultũ ſoper hoc à Clemẽte Papa VII. obtinuiſſe anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, quod præfatus Pontifex, attendens hoc negotium orthodoxam fidem non tangere, conceſſit, donec aliud per Sedem Apoſtolicam fuerit decretum. Hinc patet, prædictæ Cõgregationis Monachos legitime hactenus, tutaque conſcientia hoc feſtum celebraſſe. Inde tamen nullatenus infertur, ipſam tranſlationem veram eſſe, vel à Pontifice his litteris approbatam: quòd liquidò conſtat ex illa clauſula eiſdem litteris appoſita, videlicet, donec aliud per Sedem Apoſtolicam in contrarium fuerit decretum. Nihil ergo de illa decreuit Pontifex, ſed dubiam eam, & incertam ſicut prius fuerat, dereliquit. Verum quia in dubijs poteſt Pontifex eligere quam partem maluerit, alijſque ſequendam permittere: Monachorum præfatæ Congregationis precibus inclinatus Clemens Papa, permiſit illis celebrare feſtum tranſlationis S. Benedicti quandoquidem celebritas hæc, nõ

cen-

cenſetur eſſe, nec contra fidem catholicã, nec contra bonos mores. Similiter namq; Romana Eccleſia celebrat feſtum conceptionis B. Virg. Mariæ, quamuis adhuc non certò illi conſtet, vtrũ fuerit cõcepta ſine peccato originali, necne. Et licet pars negatiua huius tranſlationis vera ſit, poteſt tamen, non ſolum abſque peccato, verum etiam cum merito eius feſtum celebrari. Pro quo notandum, duplicem poſſe haberi errorem circa aliquam rem, ſcilicet, ſpeculatiuum, & practicum. Error ſpeculatiuus eſt, quando quis habet cauſam moraliter ſufficientem ad credendũ, aliquid eſſe verum, quod tamen à parte rei aliter ſe habet: ſicut quando Iacob cõgreſſus eſt cum lia, quam credidit eſſe Rachelem. Genel. 29. Hic error eſt inuoluntarius, & qui illum habet, patitur, cum ad illum nõ concurrat; & ideo dicitur ſpeculatiuus, quia eſt merè in intellectu. Error practicus eſt ille, quem qus facile vincere, & ſuperare poteſt, ſed negligit facere quod debet ad illum expellendum. Error iſte eſt voluntarius, quia homo ad illum aliqua-

tenus concurrit, eſtque illius cauſa. Error itaque ſpeculatiuus non tranſit in mores, ideſt non vitiat practicas actiones, cum malitia à voluntate naſcatur: error verò practicus tranſit in mores,& vitiat humanas actioues, eo quod ad ipſum concurrit voluntas. Exemplis rem illuſtremus. Video cuiuſdam fœminę imaginem puerulũ geſtantem in gremio, quam arbitror eſſe Beatæ Virginis Mariæ, cum tamen cuiuſpiam alterius ſit: adoro illam, oſculor, & amplector, non ſolum abſq; peccato, imò cum merito. Non enim refero honorem illũ in mulierem illam mihi penitus ignotam, ſed in Beatiſsimam Virginem Mariam, quam per illam imaginem credo repręſentari. Similiter ſi à perſonis Religioſis proponantur (vt ſæpe fit in *Eccleſijs*) reliquiæ ſub nomine alicuius Sancti cuius re vera non ſunt, imo forte nullius Sancti ſunt: atque ab aſtantibus adorentur,& venerentur,nullum peccatum committunt: quia non falſam reliquiam,ſed verum Sanctum adorare intendunt. Deniq; qui adorat hoſtiam non conſecratam, quam ta-

men credit conſecratam, (quamuis materialiter falſum ſit quod adorat) non peccat, ſed facit quod debet; eodem modo dicendum de celebritate tranſlationis S. Benedicti, qui ſimpliciter credunt, eam eſſe veram, nihil peccant celebrando, quantumcumque falſum ſit, quod celebrant: quia errorr ille eſt mere ſpeculatiuus, & inuoluntarius, & ſic non vitiat actionem illã. Sicut Iudex occidendo innocentem, falſo probatum nocentem, quamuis errat, credendo illum eſſe reum, nihil peccat in actione eum condemnando, quia facit ſecundum allegata, & probata. Quando ergo Pontifices ſummi permittunt celebrare tranſlationem S. Benedicti aut S. Dionyſij Areopagitæ, vel concedunt indulgentias celebrantibus huiuſmodi feſta: nõ ſtatim cenſendi ſunt, approbare, ſeu determinare, veram, & certã eſſe talem tranſlationem, ſed ſolum prouocare fideles ad venerandum eo die Sanctum illum, ſiue fuerit tranſlatus, ſiue non: permittentes eis celebrare quod abſq; peccato, imò cũ merito, vt dictum eſt, celebrare poſſunt.

Sic orat Eccleſia & miſſas celebrat pro fidelibus defunctis in particulari, quos tamen ignorat vbi ſint, nec propterea determinat, illorum animas eſſe in Purgatorio. Per hęc itaque patet reſponſio ad ea omnia, quę adducit Boſcus pag. 249. & 387. volens probare, tranſlationem S. Benedicti verã eſſe, ex eo quod Summi Pontifices eam celebrare permittunt, atque indulgentias celebrantibus concedunt.

Boſc. pag. 249. e 387.

CAP. XII.

Boſc. pag. 28.

ADreualdus in libro de miraculis S. Benedicti cap. 11. allegans Paulũ Diaconum in fauorem huius tranſlationis, ſic ait. *Huic ſanctisſimæ Tranſlationi Beatorum germanorum Benedicti, ſcilicet, atque Scholaſticæ, atteſtatur Paulus Monachus, cuius ſupra mentionem egi, in hiſtoria gentis ſuæ, ita inquiens. Circa hæc tempora (haud dubium, quin Conſtantino Imperante) cum in Caſtro Caſino, vbi Beatisſimi Benedicti Corpus requieſcebat, aliquantis iam elapſis annis, ſolitudo exiſteret: venientes*

Paul. lib. 6. cap. 2.

de Cænnomanenſium, & Aurelianenſium regione Franci: dum apud Sacrum Corpus ſe pernoctare ſimulaſſent, eiuſdem Patris, atq; Germanæ eius oſſa auferentes, in ſuam patriā aſportauerunt: vbi ſingillatim duo Monaſteria in vtriuſque honore constructa ſunt. Hęc ex Paulo Adreualdus. Cui adiungit ad marginem Ioannes à Boſco verba iſta. *Pauli Caſſineſis Monachi irrefragabile teſtimonium de tranſlatione S.Benedicti.*

Antequam hoc Pauli teſtimonium expendamus aliqua pręnotanda ſunt. Primū eſt, Adreualdum lib. de tranſlat. S.B. cap. 2. & libro de miraculis eiuſdem cap. 10. ad finem, aſſerere, B. Patris Benedicti tranſlationem factam fuiſſe regnante Clodoueo Dagoberti Francorum Regis filio, quem Baron. tom. Annal. 8. decem & octo annos regnaſſe ſcribit, obijſſeque ſub Vitaliano Pontifice anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quarto. Secundò notandum, factā fuiſſe hanc prætenſam tranſlationem ab Aygulpho Monacho Floriacenſi, poſteà Cœnobij Lirinenſis Abbate, quemadmodū ipſius acta teſtātur, quibus adſtipulatur Baro. pag. 490.

Adre-

Adreualdus multis in locis, ſed præcipue lib. de tranſlatione S. Benedicti cap. 3. ad finem. Notandum tertio, quod Ioannes à Boſco in tractatu de antiquis conſuetudinibus Floriacenſis Cœnobij cap. 2. ad finem, adducit Martyrologium Floriacenſe, tranſlationem hanc ita referens. *Anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo, ſub Clodoueo filio Dagoberti, tranſlatum eſt Corpus B. Benedicti Abbatis, à Monte Caſſino apud Monaſterium Floriacenſe, per Aygulphum Monachum.* Quarto notandum nullum reperiri ſcriptorem, qui eo ſæculo, quo facta dicitur hæc tranſlatio, aliquid de ea ſcripſerit. Siquidem Paulus Diaconus, qui primus inuenitur huius tranſlationis memoriam feciſſe, floruit temporibus Caroli Magni Imperatoris: perhibeturque, factus Monachus Caſſini ſub Theodemaro Abbate: vnde à tempore, quo aſſeritur facta hæc tranſlatio vſque ad Pauli Diaconi Monachatum, fluxere ad minus anni circiter centū triginta. Primus autem, qui ex profeſſo hiſtoriam huius tranſlationis ſcribere eſt aggreſſus, fuit Adreualdus

Boſc. pag. 409.

Mō-

Monachus Floriacenſis, qui (vt ex libro de miraculis S.Benedicti cap. 39. apparet) vixit ſub Carolo Caluo Francorum Rege. Cum enim in eo cap. agat de fame, & cladibus, quæ tempore præfati Regis in Gallijs contigerunt, fit euidens, illũ ſcripſiſſe poſt annum octingenteſimum quadrageſimum quintum, ducentis prope annis poſt huiuſmodi prætenſam tranſlationem. Ex quibus colligo, Paulum Diaconum, & Adreualdum ſcripſiſſe de hac tranſlatione, iuxta aliorum relationem, ſiue illa falſa fuerit, ſiue vera. Boſc.pag. 72.

His ita conſtitutis, expendamus Pauli Diaconi teſtimonium, & videamus, nùm in fauorem Adreualdi ſit, an è contrario. Mihi certe non videtur valde operoſum oſtendere, hanc Pauli aſſertionem, totam Adreualdi de tranſlatione S. Patris Benedicti narrationem penitus conuellere: ita vt ſi Paulus verum dicat, Adreualdum falſum dicere neceſſe ſit. Hoc primum probo ex diuerſa temporis ratione. Paulus enim cap. 4. eiuſdem libri ſexti, aſsignans tempus huius tranſlationis, factam fuiſſe

aſſerit imperante Conſtantino Auguſto, quod & Adreualdus annotauit, vbi ſupra.
Baro.to.8. pag. 544. Quoniam autem, vt docet Baronius tom. 8. Conſtantinus iſte decem, & ſeptem annis rexit Imperium, ab anno videlicet ſexcenteſimo ſexageſimo octauo vſque ad annum ſexcenteſimum octogeſimum quintum: ne libera nobis daretur vagandi, ſeu errandi occaſio, expreſſit Paulus præciſum Imperij eius annum, quo hæc tranſlatio facta ferebatur, nempe illum, quo ſexta Synodus vniuerſalis Conſtantinopoli ſub Agathone Papa celebrata fuit contra hæreſim Monothelitarum: quam conſtat, factam fuiſſe anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo primo, qui fuit decimus quartus Imperij Conſtantini præfati. Si ergo vera eſt hęc Pauli ſententia manifeſtæ cõuincitur falſitatis Adreualdi, & omnium illorum aſſertio, qui tenent, tranſlationẽ S. Benedicti contigiſſe Clodoueo Dagoberti filio regnante, cùm certum ſit, eum deceſſiſſe anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, vt ex Baronio ſupra docuimus. A cuius obitu vſque ad annum ſexcenteſimum

mum octogeſimum primum fluxere anni decem & ſeptem. Inde etiam ſequitur, non potuiſſe fieri ab Aygulpho Monacho, & martyre: cum conſtet, paſſum illum fuiſſe ante mortem prædicti Clodouei. Habent enim huius B. Martyris acta, ipſum odio, & inuidia Archadij, & Columbi pſeudo monachorum, interfectum fuiſſe: poſt cuius necem peſſimus hic Columbus, mandante Rege Clodoueo prædicto, debitas ſui ſceleris perſoluit pęnas. Præterea Paulus affirmat, occaſione huius tranſlationis, conſtructa fuiſſe in Gallijs duo Monaſteria, alterum in honorem S. Benedicti, in honorem S. Scholaſticæ alterum. Et quidem de Monaſterio apud Cænomanos in honorem S. Scholaſticæ cōſtructo, conſentiunt cum Paulo Galli ſcriptores: de Monaſterio vero in honorem S. Patris Benedicti erecto, omnes ab illo diſſentiūt, & merito: Monaſterium namque Floriacenſe, ad quod B. Patris Corpus fertur fuiſſe tranſlatum, ante ipſam tranſlationem fuerat erectum. Si ergo Paulus in hoc verum dicit, fatendnm eſt, Cœnobiū

Apud Surium die 3. Septem.

Floriacenſe tempore tranſlationis S. Benedicti, necdum erectum fuiſſe, & ſic falſa erunt omnia, quæ de hac tranſlatione aſſerunt Adreualdus, & reliqui. Denique Paulus expreſſe contradicit Adreualdo, & Diederico aſſerentibus, cineres S. Patris Benedicti in Gallia fuiſſe aſportatos; quod quidem affirmat Adreualdus lib. de tranſlatione S. Benedicti cap. 6. de miraculis eiuſdem cap. 16. & 31. Diedericus verò lib. de illatione S. Benedicti cap. 9. Nam ſtatim poſt verba illa, ab Adreualdo ſupra citata, ſubiungit Paulus, quæ ſequuntur. *Sed certum eſt nobis, os illud venerabile, & omni nectare ſuauius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cætera quoque membra, quamuis in cinerem defluxa, remanſiſſe.* Abeant ergo Galli, & hoc Pauli teſtimonium, quo vniuerſa de S. Benedicti tranſlatione ab ipſis conſcripta penitus diſſoluuntur, irrefragabile eſſe iactent. Ego quidem non ſolum non eſſe irrefragabile, verum etiam nullo modo ſubſiſtere poſſe cenſeo; arbitrorque totum hoc de tranſlatione dictum à Paulo non ex propria ſen-

Boſc. pag. 535. 61. & 218.

tentia, ſed ex vulgari narratione, quam ipſe hauſit in Gallijs tempore, quo ibi cō-moratus fuit ſub Carolo Magno Imperatore. Hoc autem, vt euidentius pateat, oportet idem Pauli teſtimonium repetere, atque, vt ab eo ſcriptum eſt, hic de verbo ad verbum tranſcribere. Sic enim ait. Lib.6.c.2.

Circa hæc tempora, cum in Caſtro Caſſino, vbi Beatiſſimi Benedicti Sacrum Corpus requieſcebat, aliquantis iam elapſis annis, vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cænomannicorum, vel Aurelianenſium Regione Franci, dum apud venerabile Corpus pernoctare ſe ſimulaſſent, eiuſdem venerabilis Patris, pariterque eius germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes in ſuam patriam aſportauerunt. Vbi ſingillatim duo Monaſteria in vtriuſque honorem, Beati Benedicti, & S. Scholaſticæ conſtructa ſunt. Sed certum eſt nobis, os illud venerabile, & omni nectare ſuauius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cætera quoque membra, quamuis in cinerem defluxa, remanſiſſe. Hęc Paulus. Intendo ergo probare, Paulum loqui de tranſlatione Sanctorum Corporum, non iuxta propriam ſenten-

tiam, ſed iuxta vulgatã apud Gallos opinionem, quod ex ipſius verbis, liquido colligere poſſum. Primum ex illis, quibus ait, vaſtam ſolitudinem Caſsini fuiſſe. Paulus namque contrarium aſſerit hoc eodem libro cap. 40. Nam, quo tempore Petronax Caſsinum venit, cum aliquibus ſimplicibus viris, iam ante ibi reſidentibus, habitare cæpit: qui eundem venerabilem virum Petronacem ſibi ſeniorem ſtatuerũt. Sed ne quis dicat, tempore quidem Petronacis aduentus, reſediſſe Caſsini aliquos viros religioſos: tempore autem aduentus Francorum, vaſtam ibi ſolitudinem fuiſſe, audiat eundem Paulum hoc eodem loco dicentem, Francos apud venerabile Corpus pernoctare ſe ſimulaſſe. Quorſum ſimulatio hæc, ſi nullus ibi ad cuſtodiam ſepulchri S. Patris excubabat? Dicendum propter aſtantes, & Corpus S. Benedicti cuſtodientes, ita Francos ſimulaſse. Iuxta Paulum ergo non fuit tunc apud Caſsinũ vaſta ſolitudo: ſed Franci, qui de ſurreptione tanti theſauri gloriabantur, vt tranſlationem hanc creditu facilem redderent,

ita aſſerebant: id patet ex Adreualdo lib. de tranſlat. cap. 4. & 5. Et ex actis S. Aygulphi. Vel dicendum quoſdam ex Gallis aſſeruiſſe, inueniſſe quidem Francos, apud S. Benedicti Corpus viros religioſos: quos ſimulatione illa vigilandi fallentes, ſacras eius reliquias eo ſtratagemate abſtulerũt. Vtrumque autem dicendi modum, fuiſſe hic à Paulo inſinuatum. Præterea Paulus aperte demonſtrat, ſe neſcire, quinam fuerint Franci illi, qui ſacras reliquias ſuſtuliſſe dicuntur, dum loquitur diſiunctiue, dicens, veniſſe Francos de Cœnomannenſium, vel Aurelianenſium regione. Certè ſi hęc tranſlatio facta fuit, modo ab Adreualdo deſcripto, neceſſario fatendum eſt, Paulum valde hallucinatum in ea referenda: nec aliquid certi, aut explorati de ea habuiſſe, ſed iuxta ea, quæ vulgari fama apud Gallos ferebantur, ipſum loquutum fuiſſe. Quemadmodum etiam ſentit Leo Oſtienſ. lib. 2. Chron. ca. 44. Quod autem Paulus in his omnibus enarrandis errauerit, docet Adreualdus ipſe, dum Paulum, quem citat, non ſeqquitur, ſed valde diuer-

ſe narrationē de tranſlatione S. Benedicti proſequitur: iudicauit ergo Adreualdus, Paulū circa prędicta fuiſse halluci natū: ſi enim verum dixiſſe iudicaſſet, illum ſequutus fuiſset, ne ipſe fallus, & mendax iudicaretur. Sequor ergo Adreualdi iudicium, & Paulum Diaconum in his, quæ de tranſlatione S. Benedicti dixit, alienum errorem ſequutum fuiſse cenſeo; imò hoc idem videtur dicere Paulus ipſe, cum declarans ſeipſum, hæc ſubdit. *Sed certum eſt nobis, os illud venerabile, & omni nectare ſuauius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cætera quoque membra, quamuis in cinerem defluxa, remanſiſſe*. Particula illa aduerſatiua, ſed, emphaſim habet: ac ſi apertè dicat. De tranſlatione S. Patris Benedicti quidam ſentiunt, vt ſupra retulimus: quæ quidem ego non approbo nec recipio: ſed hoc tantum dico, certum nobis eſse, vniuerſa B. Benedicti membra apud nos remanſiſse: Videtur itaque Paulus aſserere tranſlationem, ſed re vera oppoſitnm docet. Vide ſi placet regulam Auguſt. ſuper Pſal. 77. ſuper illud. Et tradidit grandini iumen-

iumenta eorum, &c. Illud autem, quod ibidem ait Paulus, ſcilicet, quamuis in cinerē defluxa, intelligendum eſt eo modo, quo ipſe intelligi voluit, dum ſtatim ſubdit. *Solum etenim ſingulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Cæterum omnium Sanctorum corpora, in æternam poſtea gloriam reparanda, corruptioni ſubiecta ſunt, his exceptis, quæ ob diuina miracula, ſine labe ſeruantur.* Significat ergo Paulus, B. Benedicti corpus, quemadmodum & reliquorum corpora Sanctorum, ſubiectum fuiſſe corruptioni; & hoc eſt vniuerſa eius membra in cinerem defluxa, remanſiſſe. Vnde quod habetur in Diplomate Zacharię ſupra citato, Pontificem vidiſſe ſacra pignora B. Patris Benedicti eiuſque ſororis, ac intemerata inueniſſe: & in bulla Alexandri Secundi de qua ſupra lib. 1. ca. 15. ſcilicet; *Quo facto Sanctiſſima Corpora intemerata, & indiminuta inueniens:* non contrariātur ijs, quæ à Paulo hic dicūtur, nā verba illa; Intemerata, & indiminuta, nihil aliud ſignificant in his bullis, quam ſacra illa Corpora in ſuis proprijs locis,

vbi

[1] Inuiolata, ſiue vt ait Alexa: indiminuta.

vbi prius ſepulta fuerant integra inuenta fuiſſe, ita vt ex ipſo aſpectu appareret, à nemine vnquã contractata, ſeu commota fuiſſe. Quod autem Paulus vſitato more loquendi per cineres totum corpus intelligat, patet ex cap. 40. libri ſexti; vbi aſſerit, Petronacem, ad Sacrum B. Patris Benedicti Corpus perueniſſe. Erat igitur Caſsini Corpus B. Benedicti quando Petronax ad illum reſtaurandũ venit. Adrevaldus etiam, & Diedericus per cineres S. Benedicti totum illius Corpus intelligũt, vt videre eſt in lib. de tranſlatione S. Benedicti cap. 6. & de illatione eiuſdem cap. 9. Cum ergo conſtet,[1] ante, & poſt Pauli tempora Corpus B. Benedicti Caſſini extitiſſe, atque à pluribus viſum fuiſſe, fatendum omnino eſt, Pauli tempore ibidem fuiſſe, idque eundem Paulum affirmare voluiſſe, cum dixit. Omnia membra Beati Benedicti apud nos, ideſt apud Caſsinũ, remanſiſſe. Ergo Pauli Diaconi teſtimonium, non aſtruit, ſed deſtruit S. Benedicti Tranſlationem.

Boſc. pag. 7. & 8. & 218.

CAP.

C A P. XIII.

Aſſerunt præterea Adreualdus, & ſocij, Beatum Martyrem Aygulphũ, Corpora S. Benedicti, & Scholaſticæ è Caſſino in Galliam tranſtuliſſe: quod ſi falſum eſſe demonſtrabimus, fuet profecto huius tranſlationis commentitia narratio. Hoc autem ex ipſa temporũ ratione ſic deducitur. Tabulæ Monaſterij Lirienſis, cuius Abbas fuit B. Aygulphus, eius paſſionem conſignatam habent tertiò nonas Septembris anni Domini ſexcenteſimi ſexageſimi: quibus aſſentitur Cardin. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, ipſo eodem Die. Martyrologium verò Floriacenſe teſtatur, tranſlationem S. Benedicti factam fuiſſe eodem ipſo anno quinto Idus Iulij. Hæc autem ſimul ſtare non poſse, patet euidenter ex actis eiuſdem Sancti Aygulphi, in quibus aſeritur, Beatum Aygulphum multò ante paſcha, dolo, & factione Archadij, & Columbi captum fuiſse, atque vſque ad diem obitus ſui ita permãſiſse. Anno igitur Boſc. pag. 409.

ſexcenteſimo ſexageſimo nō potuit S. Aygulphus Corpus S. Benedicti transferre. Imò ſi demus, B. Aygulphum non fuiſſe paſſum eo anno, ſed ſequenti, vel biennio poſt, non potuit anno ſexcenteſimo ſexageſimo venire Caſſinum ad tollendum Corpus S. Benedicti. Teſtantur enim eius acta, & alij ſcriptores id ab eo factũ, dũ adhuc eſſet Monachus Floriacenſis, poſt eam verò tranſlationem magnã ſibi apud Galliæ Regem, & aulicos ſanctitatis opinionem comparaſſe: deinde Lirinẽſes Monachos ſpirituali patre deſtitutos: Regẽ conueniſſe, Abbatẽ ſibi ab eo dari poſtulãtes, regẽ verò habito cũ proceribus de eligẽdo Abbate cõſilio, S. Aygulphũ Lirinẽſibus Monachis præfeciſſe. Vniuerſa hæc non potuerunt fieri in inſtanti. Proficiſcitur de hinc S. Aygulphus Lirinum, vbi peramãter à Monachis exceptus, diutius quiete, & pacifice, verbo, & exemplo illuſtris, eidem cœnobio præfuit. Poſtea decocta in Sanctum virum Archadij, & Columbi rabie, & malitia, B. Aygulphus, blãdiſſima oratione peruerſos illorũ animos

ſtuduit emollire: cuius verbis ſe aſſenſum præbuiſſe ſimulantes, per totum vnius anni ſpatium furorem ſuum compreſſerunt. Cumque conceptum in Sanctum virum odium intra cordis latebras continere vlterius non valerent, in apertam perſequutionem prorumpentes. B. Aygulphum, & quoſdam alios, ei adherentes Monachos, aggrediuntur, manuſque ſacrilegas in eos inijcientes, naui impoſuerunt, marique ſe cōmittentes, per multos dies marinis fluctibus huc illucque iactati, tandem in die Cœnæ Domini ad Inſulam Caprariam appulerunt: vbi vſque ad reditum Columbi ab Epheſo, ſub cuſtodia permaſerunt. Poſt cuius reditum, iterum S. viri naui imponuntur, atq; ad Inſulam Amathunam, in qua decollati ſunt, deportantur. Ex his omnibus ſimul collectis, facile apparet, S. Aygulphum anno ſexcenteſimo ſexageſimo nequiuiſſe reliquias B. Benedicti è Caſſino in Galliam transferre, vt vult Martyrologium Floriacenſe, cum tunc temporis fuerit iam carceri mancipatus, vel ſaltim Abbas Lirienſis conſtitutus. Vidit argu-

mentum hoc Adreualdus, cumque illud diſſoluere nequiret, conatus eſt ſubterfugere, ſcribens de B. Aygulpho in libro de tranſlatione S.Benedicti cap.3. ad finem, quæ ſequuntur. *Namque cum bonis polleret moribus, et in Monaſterio Lirinenſi ob bonorum ſtudium operum, peteretur aliquantiſper, exempli gratia remorari: à contrarijs religioni Diuinæ inſidias perpeſſus, ad palmam vſque Martyrij peruenit. Cuius etiam paſſio penes nos habetur.* Vides Adreualdi fraudem? Aliquantiſper tantum, exempli gratia, B. Aygulphum apud Lirinum remoratum fuiſſe docet: cum tamen ex illius actis conſtet, ipſum Abbatem Lirinenſem creatum, diutius ibidem permanſiſſe? Profecto his verbis voluit Adreualdus propoſitæ difficultati tacite reſpondere, ac ſi diceret. Non repugnat, B. Aygulphũ quinto Idus Iulij anni ſexcenteſimi ſexageſimi Diui Benedicti reliquias Floriaci detuliſſe, & eodem anno tertio nonas Septembris Martyrium ſubijſſe: quia apud Lirinenſe Cœnobium aliquantiſper tantum, exempli gratia, remoratus eſt. Suppreſſit

Boſc. pag. 3. & 4.

ergo

ergo Adreualdus veritatem, at nullo modo eſt excuſabilis, cum acta B. Aygulphi legerit: hoc enim eſt, quod vbi ſupra dicit: *cuius etiam paſſio penes nos habetur.* dicimus igitur Sanctum Aygulphum eo anno, quo Floriacenſes aſſerunt, non potuiſſe corpus B. Benedicti transferre, ac per conſequens falſum eſſe, quod in eorum Martyrologio de tempore huius tranſlationis legitur.

CAP. XIV.

ANtequam hinc digrediamur, annotandum videtur in actis Beati Aygulphi, quod de Sancti Benedicti tranſlatione conſcriptum reperitur. Ego quidem cum Eccleſia Catholica, eundem Beatum Martyrem veneror, colo, & adoro, eiuſque paſſionem credo, atque recipio. Verum quia noui, in multorum geſtis Sanctorum, non pauca inneniri caſtigatione digna: ideo in his Beati Aygulphi actis, fiunt mihi valde ſuſpe-

cta, quæ de tranſlatione Sancti Benedicti referuntur, tanquam ſint ab alio quopiam ſuperaddita, & adiecta. Quod patet, ſi legas ſic. *Denique omniuaria virtutum gratia instructus videbatur, eiuſque tuendæ, & conſeruandæ gratia, quod de beato viro ſcribitur, meditabatur die, ac nocte in lege Domini: In cuius ſane exercitatione uſque adeò profecit, ut non ſolum eius prouinciæ hominibus, ſed etiam exterius doctrina eius admirationi eſſet. Hinc verò, licet ille nil tale curaret, magna apud Regem, & aulicos ſanctitatis opinio B. Aygulpho comparata fuit. Cumque ea fama increbreſceret, & dignus videretur qui ſuper candelabrũ poneretur, Monachi Lirinenſes eo aduenium, ſpiritalem ſibi patrem dari poſtulantes, &c.* Decurrit profecto huius orationis fluxus ſuauiter, nec aliquis apparet defectus, cũ tamen ea, quæ de S. Benedicti trãſlatione ibi dicũtur, penitus ablata ſint, ac expuncta. Certè non leue argumentum eſt ad probandum, vel ſaltem dubitandum ea, quæ de tranſlatione S. Benedicti in his actis habentur, non fuiſſe à primario eorum auctore ibi deſcri-

pta, ſed ab alio poſtea ſuperinducta: quod Adreualdus, qui acta paſsionis B. Aygulphi legit, vt ſupra vidimus: non adducit in confirmationem huius tranſlationis acta iſta, quę magnę ſunt auctoritatis: vt planè appareat verba illa de tranſlatione, tẽpore Adreualdi non fuiſſe adhuc appoſita actis B. Aygulphi. Præterea narrata per breuiter, in prædictis actis D. Benedicti tranſlatione, verba iſta ſubnectuntur. *Extat hac de re libellus conſcriptus.* Ad quem tanquam ad notum, & cognitum remittit lectorem. Primus autem, qui libellum de tranſlatione S. Benedicti conſcripſit, creditur fuiſſe Adreualdus. Cuius tempore, iam extabant B. Aygulphi acta, vt idem ipſę teſtatur. Probabile ergo fit valdè, totũ illud de tranſlatione S. Benedicti adiectum fuiſſe B. Aygulphi actis ab aliquo Adreualdo recentiore; vel ſaltẽ non fuiſſe in actis, quæ Adreualdus vidit, & legit: Apparet etiam colluſio quædã inter acta Aygulphi, & Adreualdi libellum, dum alter alterius mẽtionem facit. Quibus omnibus attentis, verba illa de tranſlatione

S. Be-

S. Benedicti actis Beati Aygulphi inſerta, redduntur de adiectione valde ſuſpecta.

Neque ex hoc, quod Eccleſia catholica acta B. Aygulphi (quod attinet ad eius Martyrium) recipit, & approbat, infertur, recipere, & approbare quæcunque in eis continentur. Sicut enim Paulus quando
Act. 17. dixit Athenis; In ipſo viuimus, nouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Quod ex Arato Poeta deſumptum eſt, noluit approbare vniuerſa Arati Poemata. Et quando rurſus adduxit ex Me-
1. Cor. 15. nandro Poeta, ſententiam illam; Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et cũ
Tit. 1. ſcribens ad Titum, approbauit ſententiã Epimenidis, quam de ſuis Cretenſibus pronuntiauit. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri: Cui ſubſcripſit Paulus dicens. Teſtimonium hoc verum eſt. Similiter & B. Apoſtolus Iudas in ſua
Iudæ verſ. 14. epiſtola catholica teſtimonium poſuit de quodam libro Enoch Apochrypho deſumptum, dicens. Prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch. Quan-

do,

do, inquam, ſcriptores ſacri ſimilia adducunt teſtimonia, non approbant in vniuerſum eos libros, vnde illa deſumpta ſũt, ſed ea tantum, quæ ipſi inde ſumunt. Sic Eccleſia Catholica, recipiens Sanctorum Patrum libros, non intelligitur approbare, ſi quæ in eis reperiuntur minus recte dicta. Acta ergo B. Aygulphi recipiuntur quidem ab Eccleſia, quoad paſſionem, & martyrium eius, non autem quoad id, quod de B. Benedicti referũt tranſlatione.

CAP. XV.

ET ſi quæ hactenus dicta ſunt, videntur ſufficere. ad reijciendam, & connumerandã S. Benedicti tranſlationem inter eas fabulas, quæ ementito nomine, in hiſtorias tranſiſſe videntur: tamen ſi his addamus, quæ Adreualdus in lib. de tranſlatione cap. 5. & 6. narrat: ſtatim cuique ſenſato, ac prudenti viro, fabuloſa videbuntur fere vniuerſa. Aſſerit enim Aygulphum oſſa, & cineres Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ vnius ſportulæ ſinu incluſiſſe: atque ſic abſcondita Boſc. pag. 6.

ſecum detuliſſe. Quod figmento ſimile eſ-ſe, nemo non videt: oſſa enim, & cineres duorum cadauerum humanorum vnius ſportulæ ſinus non capit. De illis duabus uiſionibus, ſeu apparitionibus, quas eodem tempore factas refert, alteram Papę, Aygulpho alteram, quid dicam? De Longobardis à Pontifice in adiutorium vocatis ad inſequendos eos, qui ſacra illa pignora deferebant, quid addam? Certè fabula de anima Traiani precibus B. Gregorij ab inferno liberata probabilior multò videtur ijs, quæ de tranſlatione S. Benedicti ab Adreualdo ſunt ſcripta. Primum namq; auctorem habet virũ doctrina ſanctitateq; præclarum Ioannem Damaſcenum, cum hac aſſertione: totus oriens, & occidens, teſtatur, miraculum hoc germanum eſſe, atque irrefragabile. En tibi auctorem grauiſſimum cùm totius Mundi conſenſu. Poſtea verò à quam plurimis viris doctis recepta, ac litteris conſignata eſt. Multi etiam præclariſſimi Theologi, inter quos fuit D. Thomas fabulam iſtam, tamquam veram hiſtoriam ſupponentes, qualiter id

fieri

fieri potuerit, inquiſierũt, ac declarauerũt. Imò hiſce noſtris diebus, Alphonſus Ciaconius quandam pro hac fabula edidit apologiam. Sed quod magis mirandum eſt, adeò inualuiſſe olim hanc fabulam, vt & in locis ſacris depicta cerneretur, & in quibuſdam Eccleſiijs in feſto S. Gregorij ad lectiones nocturnales publice legeretur. Quibus omnibus non obſtantibus, hodie à viris doctis communiter exploditur, & exſibilatur, ac tanquam omnino falſa, & fabuloſa reijcitur. Legendus Cardin. Bellarmin. tom. 2. Contr. lib. 2. de purgat. cap. 8. Cum Baron. tom. 8. Annalium ad annum ſexcenteſimum quartum. Quibus in locis inuenies fabellam hanc optimis rationibus, & auctoritatibus confutatam. En quo tandem deuenit fabula decantatiſſima, quæ larua veritatis cohoneſtata, tot ſeculis veram hiſtoriam ſimulauit, totque clariſſimis viris impoſuit. Optimè profecto dictum eſt ab Ariſtotele, vnũquodque reſoluitur in ea, ex quibus componitur. Ex fabula ortum habuerat, in fabulã cõuerſa eſt, & reſoluta. Sed iam veniamus

Bellarmin.

Baro. pag. 182.

Ariſtot.

ad noſtra. Hęc de S. Benedicti tranſlatione narratio, nec plures, nec doctiores, nec ſanctiores habet aſſertores, ſeu defenſores, quam illa de ſalute Traiani fabula. Nullam ergo illis irrogamus iniuriam, dùm eos in hoc erraſſe deceptóſque fuiſſe, atq; ſuo errore alios in eundem errorem pertraxiſſe, dicimus: Argumentor præterea aduerſus tranſ lationem hanc, ex deſertione ſeu de relictione ipſius: quæ quidē olim in multorum cordibus altas radices egerat, atque à plurimis colebatur, nunc autem deſerta vbique pene atque inculta manet: à Gallis maxime (à quibus præcipue celebranda erat) quemadmodum Ioannes à Boſco initio ſui Apologiſmi aſſerit: vt videas in hac tranſlatione verificatam Gamalielis ſententiam, quam in quodam Cōcilio à Iudeis aduerſus Apoſtolos congregato, protulit, dicens. *Et nunc dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex hominibus conſiliū hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud.* Cum ergo videamus tranſlationem S. Benedicti diſſolui, ac deficere,

Boſc. pag. 383.

Act. 5.

atque ab officijs eccleſiaſticis reijci & expelli: videtur conſequenter dicendum, hominum fuiſſe conſilium, atque commentum. Vlterius, qui de hac tranſlatione ſcribunt, adeo inter ſe diuiſi ſunt, atque diſſecti, vt tot ferè ſint modi referendi, quot ſcriptores. Nec léue eſt argumentum falſitatis: tam varia eiuſdem rei narratio. Cũ enim veritas vna ſit, & actio quælibet vno modo ſit facta, ſi vere narranda eſt, vno, eodemque modo narranda eſt. Cum ergo adeo inter ſe diſcrepent atque diſcordent ſcriptores, inde potius contra ipſam tranſlationem, quam pro ea argumentum ſumendum eſt.

C A P. XVI.

COlligamus tandem vela, & vniuerſis à nobis ſuperius adductis, prudenter attentis, & conſideratis, hanc concluſionem firmiſſime teneamus, ſcilicet, Corpus Sanctiſſimi Patris Benedicti è Caſſino Monte nunquã fuiſſe tranſlatum. Propter hoc autem non intendi-

mus negare, fieri potuiſſe, vt Monachi Floriacenſes tempore deſolationis Caſſinenſis cœnobij, illud ad ſe transferre curauerint, quamuis iuxtà illorum votũ, & deſideriũ effectus minime conſequutus ſit. Dico igitur; ſi verum eſſet, Floriacenſes ad hoc opus miſiſſe Sanctum Aygulphum, cum ille inueniſſet apud Corpus D. Benedicti viros, eiuſdem cultui, & cuſtodiæ inuigilantes, videretque, ſe non poſſe Beati Patris ſacras reliquias ſecum inde trasferre; conſilium, & rationem aduentus ſui cum illis communicauit, atque ab eis petijt, vt B. Patris Corpus ſibi liceret inſpicere, reuerenterque oſculari, ac vel tenuem ſaltem puluiſculum ex eius ſepulchro ſecum deferre, quod illi facile concedere potuerunt: Et ſic cum ingenti lætitia ad propria remeauit: atq; à Floriacenſibus Monachis, cum tanta pompa, & honore ſuſceptus eſt, ac ſi totum B. Benedicti Corpus ſecum detuliſſet. Verum quia ratio temporis non permittit, vt credamus, Sanctũ Aygulphum ad hoc opus Caſſinum veniſſe; dicendum videtur, eum, qui miſſus

fuit,

fuit, quiſquis ille fuerit, cum videret, opus ſibi iniunctum non poſſe perficere, impedientibus viris ad ſacri Corporis cuſtodiã deputatis: ne vacuus ad ſuos rediret, aliorum Sanctorum reliquias hinc inde collegiſſe, ſuiſque Floriacenſibus pro S. Benedicti reliquijs detuliſſe, quas illi recipiẽtes, ac honore debito venerantes, in Altari condiderunt, ac pro veris, & germanis S. Benedicti reliquijs habuerunt. Vel tertio dicere poſſumus, multos fuiſſe Sanctos Benedicti nomine inſignitos, vt ex Martyrologijs patet: Potuit ergo fieri, vt aliquis huius nominis Sanctus Floriaci aliunde tranſlatus ſit, quem progreſſu temporis tanquã Diuum Benedictum Abbatem, & Monachorum Patriarcham habere cæperunt; atque ea, quæ de eius tranſlatione referuntur, ſcripſerunt. Nec enim nouum eſt, ſed perantiquum, Doctores, ſeu ſcriptores aliquando perſonas eiuſdem nominis confundere, ex pluribus vnam faciendo: vt patet de Sanctis Marco Euangeliſta, & Marco Barnabæ Apoſtoli conſobrino, quos multi Doctores vnum, eundem-

demque arbitrati ſunt: cùm tamen Eccleſia Catholica in ſuo Martyrologio diuerſos eos faciat. Alterum videlicet Alexandriæ Epiſcopum, paſſum ſeptimo Calendarum Maiarum: Alterum verò Bibli in Phœnicia Epiſcopum, quem in pace quieuiſſe aſſerit quinto Calendarum Octobrium. Sic confuderunt aliqui Nicolaum ex ſeptem Diaconis vnum; de quo Act. 6. Cum alio Nicolao hæretico, à quo hæretici Nicolaitæ ſunt dicti; de quo Apoc. 3. Cùm tamen penitus ſint diuerſi, vt optime probat Cardin. Baron. tom. Annal. 1. Hinc exortæ ſunt variæ cõtentiones, & lites inter diuerſas Eccleſias, & Vrbes circa Corpora Sanctorum: vt de Corpore S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi, quem Barenſis in Apulia Ciuitas apud ſe habere gloriatur in Regia Eccleſia S. Nicolai: cui fauet Romanum Martyrologium, dum ſeptimo Idus Maij aſsignans B. Nicolai tranſlationem, ſic habet: Barij quoque in Apulia tranſlatio S. Nicolai Epiſcopi ex Myra Ciuitate Lyciæ. Quem è contra Veneti in Eccleſia S. Nicolai de littore ſe habere

Vide Lorinũ, in Act. Apoſt. n. 6 verſ. 5.

Baro. tom. 1. ad annũ 68. c. 8. e 9.

bere autumant. Sed dicendum Venetos alterius S. Nicolai Corpus penes ſe habere. Aliquando ob oriuntur huiuſmodi de Sanctorum Corporibus controuerſię, nō quidem ex nominis æquiuocatione: ſed quia vnuſquiſque credit, eiuſdem S. Corpus penes ſe requieſcere. Sic Veneti credunt ſe habere in Eccleſia S. Georgij maioris corpus Sancti prothomartyris Stephani, cum tamen ſit Romæ in Eccleſia S. Laurentij extra muros: vt docēt lectiones Breuiarij Romani, in die inuentionis eiuſdem. Similiter Franci & Germani de Corpore S. Dionyſij Areopagitæ contendunt. Illi Corpus eius apud Pariſios in celebri S. Dionyſij Monaſterio aſſeruari dicunt. Iſti verò affirmant Ratisbonæ ab Arnulpho Imperatore tranſlatum, & in Monaſterio S. Maryris Emmerani collocatum fuiſſe. Fauet ijs Leo Nonus Pontifex maximus, qui in quodam Diplomate expedito anno 1052. Pontificatus ſui anno quarto. vocatis, & auditis vtriſque partibus, ac viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, ſententiam pro Germanis tulit, Baro. to. 11. ad annum 1052. p. 83.

tulit, ac Corpus B. Dionyſij, in præfato Monaſterio Ratisbonæ exiſtere declarauit. Quibus non obſtantibus obſtrepunt adhuc Galli, & B. Dionyſium apud ſe quieſcere contendunt. Similis verſatur quæſtio inter Floriacenſes, & Caſſinenſes de Corpore S. Patris Benedicti cumque illis nil ſolidę auctoritatis faueat, ijs verò miracula multa, reuelationes, plurium Summorum Pontificum, aliorumque multorum ſuffragentur teſtimonia: nolunt nihilominus Floriacenſes tam apertam credere veritatem. Nolo autem eos ignorare, exortas fuiſſe aliquando ſimiles de Sanctis Corporibus controuerſias inter Monachos Congregationis Caſſinenſis, & alios, quas ſemper Caſſinenſes euicerũt. Referã exempli gratia, vnam, aut alteram. Superioribus annis controuerſum fuit inter fratres Monaſterij S. Iob Ordinis S. Franciſci de obſeruantia Vrbis Venetiarum, & Monachos S. Iuſtinæ de Padua ordinis S. Benedicti Cõgregationis Caſſinẽſis ſuper Corpore B. Lucæ Euangeliſtæ, vtriſque aſſerentibus apud ſe exiſtere. Ventum eſt de

De S.Luc.

man-

mādato Summi Pontificis, ſeu Cardinaliū, quibus cauſa fuerat commiſſa, ad apertionem ſepulchrorum, & Sanctorum Corporum inſpectionem. In ſepulchro Monaſterij S. Iob inuentum eſt quoddā integrum Corpus cum Capite: In ſepulchro verò Monaſterij S. Iuſtinæ inuentum eſt aliud Corpus ſine Capite. Cumque Romæ conſtaret, B. Gregorium, dùm Conſtantinopoli Pelagij ſecundi apud Tiberium Imperatorem legatum ageret, Caput B. Lucæ Euangeliſtæ ab eodem Imperatore dono accepiſſe: illudque Romam delatum in Eccleſia Vaticana reuerenter collocaſſe: iudicatum eſt, ac declaratum, ex duobus illis corporibus, illud eſſe B. Lucæ, quod Capite carebat. Ad ſtipulante maximè Romano Martyrologio, quod quinto decimo Calendarum Nouembrium habet, oſſa B. Lucę è Bithinia Conſtantinopolim tranſlata fuiſſe, inde verò Patauij delatā. Præterea nuper ſub Clemente Octauo Pontifice maximo agitata eſt quęſtio inter Clericos Eccleſię S. Proſperi Ciuitatis Regij in Aemilia prouintia, & Monachos *De S. Proſpero.*

Monaſterij S. Proſperi (nunc S. Petri) eiuſdem Ciuitatis, ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, de Corpore præfati S. Proſperi, eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, vtriſque aſſerentibus illud penes ſe habere. Cumque multa hinc inde pro vtraque parte adducta fuiſſent teſtimonia, ventum tandem eſt ad ſepulchrorũ apertionem, & inſpectionem, & Corpus S. Proſperi in Eccleſia Monachorũ inuentũ eſt. Ex his collige, Monachos Caſſinenſes nõ eſſe de eorum numero, qui ſibi vſurpant Sanctorum Corpora, quæ non habent: vt patet ex præadductis circa Corpora Sanctorum Lucæ, & Proſperi contentionibus, in quibus Monachi obtinuerunt: haud dubium, quin & in hac de Santi Benedicti Corpore, ſi Summo Pontifici vſque ad ſepulchrorum apertionem, procedere placuerit, ſimiliter obtinebunt. Tot enim teſtibus, tot miraculis, ac reuelationibus, hæc veritas de exiſtentia Corporis S. Benedicti apud Caſſinum, comprobata eſt, atque firmata, vt impoſſibile videatur, Caſſinenſes

nenſes victores non euadere. Hæc pro cauſa iſta ad præſens dicta ſufficiant.

CAP. XVII.

IAm nunc tandem ad Monachos Floriacenſes, quorum cauſa hæc ſumpta eſt diſputatio, noſtra conuertatur oratio. Vos alloquor, Patres admodum venerandi, vos admoneo, & obteſtor, vt ſcripta hæc noſtra candido, ſinceroque animo percurratis, quæ quidem cum in fauorem, ac defenſionem veritatis dicta ſint, non aduerſum vos, ſed pro vobis, qui filij veritatis eſtis, prolata cenſere, ac iudicare debetis. Certè, ſi ſalua veritate, potuiſſem admittere, S. Patrem Benedictum è Caſſino Monte ad vos fuiſſe tranſlatum, libentiſſime id feciſſem: vel propter honorem meæ Cõgregationis Hiſpanicæ, quæ, vt ſupra oſtenſum eſt, ita ſentit, & docet: cui ego in hoc, ſicut & in cæteris omnibus, voluiſſem maxime deferre: Neque id grauatè tuliſſent, Caſſinenſes: quorum nihil intereſt, ſi dicatur, Corpus Sancti Benedicti deſtructo Caſſinenſi Cœnobio,

Floriacum deduci voluiſſe, ibique tempore ruinæ, & deſolationis Caſinenſis, tanquam hoſpitem, & aduenam diuerſatum fuiſſe: dùm tamen reſtaurato ipſius S. viri Cœnobio, aſſeratur, illuc tanquam ad domum propriam, tanquam ad requiem ſuã, rediјſſe, atque ibidem vſque in hodiernum diem permanſiſſe. Quid, inquam, nocet Caſinenſibus, ſi dicamus, B. Patrem Bene dictum voluiſſe vos inuiſere, tanquam ſibi caros, & dilectos: poſteà verò ſuos Caſinenſes reuiſiſſe, atque apud illos, tanquam apud proprios, & peculiares familiares, do meſticos, atque conciues, ſedem, & manſionem in æternum fixiſſe? Verum, quia ſalua, vt dixi, veritate id concedere vobis non valui, ideò in his ſcriptis penitus, & omnino negaui. Vos autem Patres mei, hoc vnum attendite in hac materia, aduer ſari vobis etiam eos, qui tranſlationẽ hãc admittunt: vtpotè Congregatio Hiſpana: quæ cùm celebret tranſlationem, qua ad vos delatum fertur Corpus S. Benedicti; relatum tamen aſſerit ſuo Caſinenſi ſepulchro, ibique indubitata fide requieſcere.

re.

re. Eccleſia etiam Mediolanenſis, Curienſis, & aliæ, quę iuxta veſtrum Coriphæum Ioannem à Boſco, feſtum celebrant tranſlationis: iuxtà Petri Galeſinij ſententiam, non illam, qua ad vos delatus aſſeritur, ſed eam, qua Caſſinum relatus fuit celebrare dicuntur. Quidquid ſit de hoc, vos obnixe oro, ne ſuper his amplius cōtendere velitis, ſed veritatē hanc de exiſtentia S. Benedicti apud Caſſinum benigne complectimini. Me autem, qui eam vobis dicere curaui, vt verum fratrem, & fidelem amicum diligite in viſceribus Ieſu Chriſti: nec enim æquum eſt, vt veritatem dicens, veritatem amantibus inimicus fiam. Non enim quia diſſentimus in ſententia, & opinione de Corpore S. Benedicti debemus diſsentire in voluntatis amore, & cordis affectu: Diſsenſio facta eſt inter Paulum, & Barnabam, de aſsumendo, vel non aſsumendo Ioanne in miniſterium: numquid propterea, quia diſsentiabant in iudicio, diſsentiabant etiam in charitatis affectu? Abſit. Diſsidium fuit inter Petrum, & Paulum circa legalium obſeruantiam, ſed

Acto. 15. verſ. 17.

Gala. 2. verſ. 11.

ſalua

ſalua ſemper charitate inter ipſos. Sic etiã fiat inter nos: diligamus nos inuicem in viſceribus Christi Ieſu: etiam ſi non diligamus opiniones noſtas. Quemadmodum in peccatore, quamuis odio habeam peccatum, tamen diligere debeo perſonam. Sic quantumcumque pugnent inter ſe opiniones noſtræ, exultet pax Dei in cordibus noſtris: pugnam vincat charitas, triumphum reportet pax.

C A P. X V I I I.

DEnique vniuerſis Diui Benedicti Regulam profitentibus, cuiuſcumque nominis, ſeu congregationis nuncupentur (præcipue autem Caſſinatibus, quibus datum eſt, incomparabilem Theſaurum reliquiarum tanti Patris apud ſe habere) in Dei nomine dico: Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, ad Patrem, inquam, Benedictũ, qui genuit vos, attendite quantum ab eius ſanctitate, ac perfectione diſtatis. Et nolite gloriari dicentes: Patrem habemus Benedictum: quia

niſi

niſi opere, & veritate ipſum fueritis imitati, nihil vobis proderit eius paternitas, niſi forte ad maiorem, quod abſit, condemnationem. Currite ergo in odorem vnguentorum illius: currite autem, vt comprehendatis. Contendite intrare per anguſtam portam: ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Abſtinete vos ab vniuerſis deſiderijs, quæ militant aduerſus animam. Videte eos, qui in agone contendunt, qualiter ab omnibus ſe abſtinent; & illi quidem, vt corruptibilem coronã accipiant, vos autem incorruptam. Cùm Paulo ergo, quæ retrò ſunt obliuiſcentes, ad anteriora voſmetipſos extendite. Poſuiſtis manum ad aratrum, nolite reſpicere poſt tergum, vt apti ſitis Regno Dei. Memores eſtote vxoris Loth. Melius vobis fuiſſet veritatis, aut religionis viam non agnouiſſe, quam poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo, quod vobis traditum eſt ſancto mandato. Abbates autem, præcipuè attendant ſibi, & vniuerſo gregi, in quo eos Spiritus ſanctus poſuit paſtores, vt pa-

ſcant gregem ſibi commiſſum, pro quo ſummus ille Paſtor animam ſuam poſuit, quemq; ſuo ſanguine acquiſiuit: paſcant, inquam, verbo, & exemplo, & vt alios præcedunt dignitate, ita præcedere curent ſanctitate: ne ſint de illorum numero, qui cum ſemetipſos paſcant, gregem Domini fame perire ſinunt. Quod eis impro-

Ezech. 24. verſ. 1. perat Deus ipſe per Ezechielem Prophetam, dicens: *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis: Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quid autem mali ſubſequutum inde ſit, docet idem ipſe Dominus Deus, ſubdens: *Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo*

colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Et Sanctus Pater Benedictus cap. 2. Regulæ cum Abbatibus loquens, ſic ait. *Meminiſſe debet ſemper Abbas, quod eſt, meminiſſe quod dicitur: & nomen maioris factis implere: Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Cum ergo aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis, id eſt, omnia bona, & ſancta factis amplius, quam verbis oſtendere. Ante omnia ne diſſimulans, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, plus gerat ſolicitudinem de rebus tranſitorijs, atque terrenis, & caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt.* Hæc, & alia iubet Abbatibus Pater Beatiſſimus, quę ſi obſeruarent, floreret profecto magis, ac magis ſacra noſtra Religio; proferretque fructus honoris, & honeſtatis. Non tamen propterea excuſantur

S.P Bened.

Rom. 8.

ſubditi à benè operando, & iuxta Regulam, quam profeſſi ſunt, viuendo; cum Chriſtus Dominus dixerit de Prælatis non recte viuentibus. Secundum opera eorum
Matth. 23. verſ. 3. nolite facere, ſed vt Pater noſter Sanctiſſimus admonet, omnes magiſtram ſequantur Regulam, nec temere ab ea deuietur à quoquam. Habemus exempla B. Patris noſtri Benedicti, atq; innumerabilium pene Sanctorum Monachorum, qui, eo Duce, ſub eius ſignis militarunt, quos imitari oportet ſi verè B. Benedicti filij eſſe volumus, & nuncupari. Sic enim dixit Chri-
Io. 8. verſ. 36. ſtus Iudeis glorìantibus, ſe Patrem habere eximium illum Patriarcham Abraham. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahę facite. Habitus non facit Monachum, ſed obſeruantia regularis. Sicut ergo nil prodeſt habitum deferre monaſticum, niſi verè Monachus ſis, ita nil prodeſt, filium B. Benedicti vocari, niſi eum imitando, eius verè filius ſis. Pari modo quid refert, ſi apud nos Corpus B. Patris Benedicti exiſtat, niſi ſuper nos requieſcat ſpiritus eius, atque in nobis maneat? Corpus eius Caſſini tan-

tum

tum eſt, nec illud omnes habere poſſumus, ſpiritum autem eius, ſanctitatem, ſcilicet, iuſtitiam, humilitatem, charitatem reliquaſque animi eius dotes habere poſſumus. Habere, vel non habere Corpus ipſius, non eſt de neceſſitate ſalutis, at verò eius habere ſanctimoniam, imitari virtutes, obſeruare Regulam, neceſſarium eſt nobis ad æternam ſalutem conſequendam. Corpus B. Benedicti quod habere non poſſumus, relinquamus Monachis Caſſinenſibus, quibus Deus tantum theſaurum perpetuò conſeruandum, tradere dignatus eſt: ſpiritum autem eius omnes à Deo, ipſius B. Patris interuentu, poſtulemus, vt ſpiritu ipſius bono deducti, eamus de virtute in virtutem, nec deficiamus donec perueniamus ad videndum Deum Deorum in Sion.

Amen.

I N-

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in hoc opere continentur.

A

ABbatum Caſſinenſium dignitas. pag.18
Addamo religioſiſſimo viro apparet S. Benedictus. pa.115
Alberici Diaconi hiſtoria deſenditur. p.204
Alexandri Secundi Papæ bulla. pa.80
Antonij Gallonij apologia. pa.27.35.53. & ſequ.
Aygulphus martyr non tranſtulit Corpus S. Benedicti. pa.322

B

BEati Benedicti Corpus Caſſini quieſcit. p.14.15.51.81.88.100.101.102.105.107.110.117.130.138.140.141.146.153.159.161.
Beatus Benedictus Regulam ſuam promulgauit cum adhuc viueret. pa.23.49
Beatus Benedictus Vrbano Secundo apparet, illumque ſanat. pa.88 89
Beatus Benedictus Henrico Secundo Imperatori apparet illumq; ſanat. pa.108
Benedicti Papæ Octaui litteræ. p. 107

Ber-

Bernardus Caſſinenſis Abbas. pa. 100
Bonifacius Papa Nonus. pa. 52
Bonitus Abbas Caſſinenſis. pa. 2

C

CArolus Magnus Imperator. pa. 138
Caroli Quinti Imperatoris litteræ. pa. 158
Chronicon Caſſinenſe impreſſum. in multis notatur. pa. 196
Clemens Papa Quartus. pa. 101
Conradus Secundus Imperator. p. 140
Conſaluo Magno Duci apparet Sanctus Benedictus. p. 152
Conſalui Magni aduerſus Gallos Victoria p. 153

D

DEſiderius Caſſinenſis Abbas. pa. 82
Deſiderius Longobardorum Rex. p. 141

E

EPiſtola Abbatis Monaſterij Fundani ad Simplicium Caſſinenſem abbatem. pa. 54
Epiſtola Oderiſij Caſſinenſis Abbatis ad Monachos Floriacenſes. pa. 122
Examinatur diligenter epiſtola prædicta. pa. 128 & ſequentibus.

Fa-

F

Fabulæ multæ pro veris hiſtorijs receptæ. pag. 256.
Falli & mentiri multum differunt. pa. 8
Ferdinandi Regis Catholici litteræ. pa. 144

G

Galeſinius quid dicat de tranſlatione S. Benedicti. p. 277
Gregorius Papa Tertius Petronacem Caſſinum miſit. pa. 13
Gregorius Papa Nonus. pa. 52. 98

H

Henrici Secundi Imperatoris litteræ. pa. 110
Hymnus Petri Mauricij Abbatis Cluniacenſis. p. 97. 295

I

Inuentio Corporum SS. Benedicti, & Scholaſticæ. pa. 81. 161
Ioannes Papa Vigeſimus ſecundus. pa. 102
Ioannis à Boſco liber pro exiſtentia Corpus Sancti Benedicti apud Floriacum. pa. 7
Ioannis à Boſco varia argumenta adducuntur atque

atque ſoluuntur. pa. 84. 93. 113. 120. 131. 175
216. & ſequentibus.
Iulius Papa Secundus. pa. 104

L

Ladiſlaus Neapolis Rex. pa. 143
Leo Oſtienſis deſcriptus. pa. 190. 202
Lotharius Tertius Imperator. pag 140
Ludouicus Primus Imperator. pa. 139

M

Martyrologium Romanum reformatum, translationē S. Benedicti non recipit. 265
Mediolanenſis Eccleſia translationem S. Benedicti non celebrat. pa. 272
Miracula quædam S. Benedicti. 89. 108. 118. 236
Monachi S. Benedicti Valliſoleti tranſlationem eius celebrant. pa. 283
Monachorum Cluniacenſiū, & Caſſinenſium amicitia, & fratetnitas. pa. 121
Monaſterium Caſſinenſe vaſtatum à Longobardis. pag 2
Monaſterium Caſſinenſe, caput eſt totius ordinis Benedictini. 18. 88. 105
Monaſterij Caſſinenſis elogium. pag. 210. 233
Monaſterium Caſſinenſe à Beato Benedicto valde dilectum. pa. 224. 229
Monaſticus ordo è Caſſino propagatus. pa. 225

N

NVmeri, quando ſcripturas vitiant. pag. 65. 70.

O

ODeriſius Abbas Caſſinenſis. pag. 128
Otho primus, ſecundus, & tertius Imperatores. pag. 139. 140

P

PAſchalis Secundus Papa, interdicit celebrare tranſlationem S. Benedicti. pag. 261
Pauli Diaconi teſtimonium de tranſlatione Sancti Benedicti. pag. 308
Petrus Diaconus Caſſinēſis defenditur. p. 47. 263

S

SImplicius tertius Caſſinenſis Abbas. 26. 31. 39
Simplicius alius Beati Mauri comes. p. 30. 39

T

TRanſlatio S. Patris Benedicti impugnatur per totum ſecundum tractatum: ſed præcipuè pagina 258. & ſequentibus, vſque ad pag. 332.
Tranſlatio feſti S. Benedicti. pag. 279

V

VRbani Secundi Papæ bulla. pag.87
Vrbani prædicti bulla defenditur.p.93.etc.
Vrbanus Papa Quartus. pag.99
Vrbanus Papa Quintus. pag.20.52

ZAchariæ Papæ Primi bulla. pag.12
Zachariæ prædicti bulla defenditur.pag.18
vſque ad 79.

Erràta ſic corrigènda.

Pag.71. verſ. 3.	lege, Percenſendis.
Ibidem ad margi.	lege, tom. 9. pag. 143.
Pag.87. ad marg.	lege, infra pag. 182.
95. ad marg.	lege, ſupra pag.65.
191. ad mar.	lege, Boſcus pag.255.
204. verſ. 2.	lege, tom.10.Annalium.
214.ad marg.	lege, Boſcus, non Baro.
223. verſ. 4.	lege, nongenteſimum ſeptuageſimum.
235.ad marg.	lege die 26. Martij.
241. ad mar.	lege, Boſcus non Baro.
256. ad mar.	lege, tomo 10.pag. 110.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Locumtenens.

Rutilius Gallacinus Canon. Dep. vid.

M. Thaddæus Cap. Congreg. Carbon.
Vicar. Gener. Deputatus vidit.